EXCVDEBAT ANTVERPIÆ
CHRISTOPHORVS PLANTINVS.
ANNO M. D. LXVII. MENSE
NOVEMBRI.

IAC. RÆVARDI I. C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBRI QVINQVE.

✣

AVREA



HVBERTAS SAECLI.

1633

BRVGIS FLANDRORVM,
Excudebat Hubertus Goltzius.
M. D. LXIIII.

+41

2

CLARISSIMO ERVDITISSIMOQVE IOACHIMO HOPPERO, CONSILIARIO, AC supplicum libellorum in regia magistro, IACOBVS RÆVARDVS S. D.

NE te diutius promissi ante biennium muneris expectatione suspensum teneam, & vt fidem simul apud te meam liberem, Hoppere clarissime, his ego temporibus nihil antiquius habui, quàm vt quinque Variorũ libros, quos studiosis omnibus & vsui & delectationi futuros confido, propenso fideliqúe animo ad te mitterem. Si de tua voluntate dubitarem, multis hoc munus ornarem verbis, vt animum tuum, quem in me beneuolum esse & spero, & audio, etiam atq; etiam confirmarem: sed profectò est ita vt mihi persuasi, me meosq; ingenij fœtus acceptos tibi gratosque fore. Quamobrem mihi gratissimum feceris, si tibi persuaseris, nullo aut loco aut tempore, exiguum meum studium tuis præclaris laudibus & amplitudini in aliquo officij genere defuturum. in

quo etiam si multi mecum contendent, omnes tamen facilè superabo. Velim igitur existimes, eruditissime domine, hos libros fœderis esse loco, meque ea quæ tibi promitto, ac recipio, præstiturum diligentissimè, sanctissimeq; obseruaturum. Vale. Brugis Flandrorum, viij. kal. Augusti M. D. LXIIII.

CAPITVM QVÆ HIS QVINQVE VARIORVM libris continentur Elenchus.

Capita Libri primi.

QVÆNAM à iurisconsultis tradita sit iuris partitio. Cap. j.

Quo sensu scripserit Vlpianus, iuris nomen à iustitia descendere. Cap. ij.

Explicatur caput viij. de appellat. & cap. xlij. de iniurijs. Cap. iij.

Quænam dicantur inaures, & de muliebribus ornamentis quædam non passim obuia. Cap. iiij.

Quo sensu scripserit Vlpianus, vectigalia prædia longo tempore capi posse, cùm eadem prædia non posse vsucapi scripserit expressè Paulus. Cap. v.

Emendatur & explicatur Vlpiani locus, de his qui propter loci religionem inde se mouere non possunt. Cap. vj.

Verus intellectus cap. xx. D. Com. diuid. Cap. vij.

Quo sensu scripserit Vlpianus, calceatum debere præfectum vigilum coërrare. Cap. viij.

De atrocibus iniurijs quædam non vulgaria. Cap. ix.

De tutela fœminarum, deque lege Claudia tutelari noua disputatio. Cap. x.

Demonstratur Triboniani de compensationibus manifestus error. Cap. xj.

Quo sensu accipiendum sit quod scripsit Vlpianus, stationes suos habere in prouincijs procõsules non posse. Cap. xij.

Explicatur L. qui Romæ, §. Flauius, de verb. obligat. Cap. xiij.
Emendatur L. si arbiter, D. de probat. Cap. xiiij.
Quot fuerint pecuniarum fide publica deponendarum apud Romanos rationes. Cap. xv.
Emendatur cap. iij. in princ. D. de minorib. Cap. xvj.
Notatur Triboniani de minorum curatoribus manifestus error. Cap. xvij.
De liberali causſa, & de partu agnoscendo, quædam à nemine animaduersa ad §. præiudiciales, Inst. de actionib. Cap. xviij.
Rectè Vlpianum scripsisse, electrum auri appellatione non contineri. Cap. xix.
De legitimo luctus tempore, & luctus quomodo dimittendi soleat, obiter explicatum. Cap. xx.

¶ Capita libri secundi.

De pactis, & explicatur L. pacta conuenta, D. de cont. empt. Cap. j.
Explicatur L. qui viã, D. de noui operis nuntiat. Ca. ij.
De pœna periurij. Cap. iij.
Quid per arculã intellexerint iurisconsulti. Cap. iiij.
Quomodo qui spondet, ipso iure ex sponsu sit obligatus. Cap. v.
Verus intellectus §. pactus ne peteret, L. si vnus, D. de pactis. Cap. vj.
Auersio quid à sectione differat. Cap. vij.
Quid sit testes de domo producere. Cap. viij.
Marcelli locus apud Vlpianum de curatoribus pupilli, prodigi, vel furiosi, explicatur nouo sensu. Ca. ix.
Indicatur de tutoribus fœminarum Triboniani error. Cap. x.
Conci-

Conciliatio vera cap. xxxix. de statulib. cum cap. xiiij. de quæstionib. Cap. xj.
Quid sit χρῆσις. Cap. xij.
Exceptiones pro pactionibus interdum à veteribus vsurpari. Cap. xiij.
Explicatur cap. xxxj. D. de pœnis. Cap. xiiij.
Emẽdatur & explicatur Vlpiani locus, de eo qui equo publico in causſa publica transuehitur. Cap. xv.
Quæ dicantur diuisiones, & quid sit apud Paulum ad diuisionem singulorum ciuium legare. Cap. xvj.
Quo sensu Vestales virgines capi scripserit Vlpianus: & locus A. Gellij restitutus ex manuscripto codice. Cap. xvij.
De triumuiris capitalibus. Cap. xviij.
Conciliatio cap. lxxxj. de furtis, cum cap. iiij. §. iiij. Ad L. Iul. peculat. Cap. xix.
De his qui officij causſa in prouincijs agunt vel militant. Cap. xx.

¶ Capita libri tertij.

Quæ nominibus obligatio fieri dicatur, & de signatoribus quædam non vulgaria. Cap. j.
Explicatur caput viij. D. de public. & vectig. Cap. ij.
De geminatis præpositionibus quædam à nemine animaduersa. Cap. iij.
Verus intellectus cap. j. de legat. j. Cap. iiij.
Emendatur & explicatur Callistrati locus de magnæ capitis diminutione. Cap. v.
Explicatur cap. xxxix. D. de iniurijs. Cap. vj.
Elegans pandectarum Florentinarum lectio defenditur in cap. ix. D. de dolo malo. Cap. vij.

Potuerit ne heres quòd furtum antea factum esset, re-
ctè furti agere. Cap. viij.
Emendatur cap. vij. C. de solut. Cap. ix.
De nominibus Antoninorum, & veris eorum differen-
tijs. Cap. x.
De ijs qui quæstus caussa in certamen descendunt, &
propter præmium in scenam prodeunt. Cap. xj.
De custodia reorum. Cap. xij.
Defenditur lectio Florentina de fusionibus fisco præ-
standis. Cap. xiij.
De plus petentibus. Cap. xiiij.
Ad Ellipses substantiuorum animaduersio singularis.
Cap. xv.
De vicesima rerum venditarum locus pandectarum ex-
plicatur. Cap. xvj.
Quæ dicatur arctior annona. Cap. xvij.
Quæ fuerit de Pyrrhi captiuis Appij Claudij senten-
tia. Cap. xviij.
Emẽdatur Callistrati locus ca. xxvij. de pœnis. Ca. xix.
An soli prætores Romæ, & in prouincijs præsides soli
de libertate iudicauerint. Cap. xx.

¶ Capita libri quarti.

Emendatur & explicatur conuentionum ab Vlpiano
tradita diuisio cap. v. de pactis. Cap. j.
Cur à prætoribus decreta Latinè debuerint interponi,
emendatumq; Arcadij & Honorij rescriptũ. Cap. ij.
Sub pellibus quid sit apud Celsum & Labeonẽ. Cap. iij.
Quid ab ærario fiscus differat. Cap. iiij.
Emendatur Vlpiani locus. Cap. v.
Verus intellectus L. Transigere, C. de transact. Ca. vj.

Quid sit apud Vlpianum, circa stationes se occulta-
re. Cap. vij.
De tribunatu numerorum: emendaturq; cap. vlt. C. de
testamento milit. Cap. viij.
Quæ fuerit vindicta manumittendi ratio. Cap. ix.
Qui puberes, & quid habitus corporis sit: insignisque
Triboniani error demonstratur. Cap. x.
De vera sententia cap. j. C. de cust. reor. Cap. xj.
Quæ dicatur materfamiliâs. Cap. xij.
Quale fuerit iudicium de moribus quod esse sublatum
Iustinianus voluit. Cap. xiij.
Notatur Iustiniani constitutio de tempore dirimendis
ciuilibus controuersijs præfinito. Cap. xiiij.
Ad L. xv. D. de iureiurando. Cap. xv.
De iustis vxoribus, & iniustis. Cap. xvj.
De comitibus matrumfamiliâs & matronarũ. Ca. xvij.
Verus intellectus L. ob æs alienum, C. de obligat. &
actionib. Cap. xviij.
Indicatur Triboniani facinus quoddam, & explicatur
Vlpiani locus perdifficilis. Cap. xix.
Verus intellectus L. Cum vir, C. ad L. Iuliam de adul-
terijs. Cap. xx.

¶ Capita libri quinti.

De veris agnationũ cognationumq; differentijs. Cap. j.
Quid sit gratiam iurisiurandi facere in L. Labeo etiam,
D. de iureiur. Cap. ij.
Quæ dicatur feralis pestis in rescripto quodam impera-
toris Constantini. Cap. iij.
Ad L. inuiti, D. de testib. Cap. iiij.
Quid sit per salutẽ suam, quid item per Iouem iurare:
atq; inibi de vero sensu ca. xxxiij. de iureiur. Ca. v.

Quæ dicantur ambitiosa decreta, & expenditur explicaturque Vlpiani locus perdifficilis. Cap. vj.
De superindictionibus. Cap. vij.
Iudices olim in leges iurare solitos: & quid sit apud Horatium Puteal Libonis. Cap. viij.
Iteratarum dictionum observatio singularis. Cap. ix.
De pœnis iniustè prouocantium, & quæ dicatur præiudicialis multa. Cap. x.
Quæ sint vela regia. Cap. xj.
De iure publico. Cap. xij.
Responsum quoddam Martiani integrum non videri, & illud quomodo restitui possit obiter demonstratum. Cap. xiij.
De ludis Circensibus explicantur leges quædam obscuriores. Cap. xiiij.
Quæ sint inimicitiæ capitales. Cap. xv.
Explicatur Tit. xvij. lib. ij. Codicis Iustiniani Cæsaris. Cap. xvj.
Quo sensu scripserit Celsus, pecuniam sine peculio fragilem esse. Cap. xvij.
Emendatur & explicatur cap. vlt. D. de restit. in integrum. Cap. xviij.
Quid sit apud Vlpianum, extra ordinem ferias indicere. Cap. xix.
De ordinarijs, vicarijs, & mediastinis seruis. Cap. xx.

IAC. RÆVARDI I. C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBER PRIMVS.

Quænam à Iurisconsultis tradita sit iuris partitio.

CAPVT PRIMVM.

QVVM DE ÆQVO ET INIQVO disseritur, æquitatis loci bipartitò cernuntur, inquit Cicero, natura & instituto. Naturam Iurisconsulti sic acceperunt, vt eius interpretationem esse duplicem contenderint: vnam quidem humano generi cum belluis ipsis communem, alteram verò solis hominibus propriam. duplici enim hominis natura indutos esse, scribit eleganter Connanus: vna, qua Deo assimilatur: altera, secundùm quam dicitur masculus & femina. Humanitas enim inter extrema duo quasi media sita est, scilicet inter diuinam incorporeamque, & inter sensitiuam brutorumque naturam: ac vtriusq; hominem esse participem, in Genesin scribit Procopius. Et quia vtraque iuris quadam functione est prædita, hinc etiã factum est vt duplex sit iuris naturalis interpretatio: sic nimirum

mirum vt ius aliquod natura hominibus cum belluis communis obseruari præcipiat, & ratio quoque quadam iuris functione humani generis societatem foueat. Vlpianus sanè naturale ius illud, cuius peritia omnia animalia censentur, ius esse ait quod natura omnia animantia docuit, cap. 1. de iust. & iur. Ius autem quod à iubendo nomen accepisse dubium non est, in ijs solùm versabatur, in quibus esset de æquitate disceptatio. Aliud igitur iussus & imperium, aliud item ius erat. Quicquid iubebat natura, iussus, imperium, impetus, & instinctus, non ius dicebatur. nomen enim iuris ad ea quæ ex æquo & bono constabant, duntaxat referebatur. Nam quæ præter instinctum naturæ simplicem, vim quandam æqui bonique amplectebantur, iuris nomine, velut æquo bonoque proprio, complexi sunt veteres. Ius igitur naturale est ius illud, quod ius natura docuit omnia animantia: cuius generis sunt, liberos educare, vim vi repellere, & id genus alia. Quæ quòd iustitiæ æquitatisque effigiem, seu quandam ideam præ se ferant, iuris idcirco nomine comprehenduntur. Quin & altera iuris naturalis interpretatione, ius quod solos homines naturalis ratio docuerat, iuris etiam naturalis nomen obtinebat: verùm hac discriminis ratione, quòd istud indirectè seu per consequēs, alterum verò directè naturale vocaretur. Ius ergo naturale duplex erat: vnum quod natura do-

tura docuerat, alterum quod ratio. Quod natura docuerat, ideo naturale dicebatur, quia illud natura docuerat quæ cunctis hominibus cùm belluis cōmunis erat, & sic directè: quod ratio, ideo naturale vocabatur, quia ratio quæ solis tributa est hominibus, esset naturalis, & sic indirectè. Non enim ideo naturale dicebatur, quòd ratio illud docuerat, sed quia ratio naturalis erat, & sic per consequens, & indirectè. Si enim ratio non fuisset naturalis, vtique nec ius illud quod ratio docebat, iuris naturalis nomine censeri potuisset. Hæc si considerasset Laurentius Valla, tam iniquè Vlpiano conuitium non fecisset, existimans cùm in brutis nulla sit ratio, nullum in ijsdem ius inesse. Quo quid potest absurdius dici? Si enim vim vi repulero, nónne iure facio? si id bellua fecerit, an quæso quòd in brutis nulla sit ratio, ideo minus iure factum causabere? Vim vi repello, quòd illud mihi suggerat, qua præditus sum, ratio: bellua vim vi repellit, quòd illam id natura, quam cum hominibus habet communem, sic facere docuerit. Vt enim esset ius, non ex vtentium qualitate, sed ex facto æstimabatur. Proinde quæ ab hominibus vel à brutis fierent, siquam iusti & æqui effigiem referrent, iuris appellatione olim contineri, neminem posse inficiari arbitror. Diuiditur autem ius naturale, in ius quod natura docuit, & in ius quod ratio docuit. Rursus, ius illud quod ratio docuit,

docuit, partim erat constitutum, partim non constitutum. Quod enim naturalis ratio constituit, si quidem inter omnes homines, apud omnes peræquè custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtantur: sin verò inter alicuius ciuitatis populum, ius ciuile dicitur. A iure autem naturæ solis hominibus proprio, ius gentium recedere facile est intelligere, quia ius gentium ius est naturale constitutum & vsu receptum: ius verò naturæ, hominum mentibus inhærens iusta ratio. Quæ si constituatur, et in vsum aliquem recipiatur, mutat nomen suum: & si quidem à gentibus, iuris gentium; sin verò à ciuibus, iuris ciuilis nomen adsumit. Hinc seruitus constitutio dicitur iuris gentium: libertas, non naturalis constitutio, sed facultas, cap. iij. de stat. hom. Hinc etiam factum deinde suspicor, vt vim vi repellere, à Florentino iuri gentium adscribatur, ca. iij. de iust. & iur. quod, si originem spectes, re vera iuris vtriusque naturæ est. cap. j. §. xvj. de vi & vi armata. Est ergo iuris gentium, & iuris vtriusque naturæ simul. Iuris gentium quidem, quòd gentes ex naturali & innato iure obseruent, vt qui vim vi repulit, non puniatur: quò spectant hæc Florentini verba: *Nam hoc iure eum nit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iu re fecisse existimetur.* cap. iij. de iust. & iur. Naturæ verò, quòd id facere, vt omnibus animantibus natura, sic hominibus ratio præcipiat naturalis.

turalis. Vt ita quidem eorum opinioni minimè subscribendum sit, qui Tribonianum (excusantes Florentinum) erroris hîc insimulant. Est etiam eorum sedulò fugiendus error, qui à naturali isto iure, gentium ius non distinguunt: quod veteres fecisse non est obscurum, si præter definitionem iuris ciuilis ab Vlpiano traditam cap. vj. de iust. & iure, consideremus illud ius gentium duntaxat appellandum esse, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, cap. ix. dict. tit. quod naturali ratione inter omnes homines peræquè custoditur, cap. j. de acq. rer. dom. Qua in sententia etiam Ciceronem fuisse, hinc conijcio, quòd ille ius hominibus proprium ita partitus sit, vt aliud hominum, aliud gentium, aliud denique ciuium commune esse contenderit, in lib. j. de Oratore. Nimirum per ius hominum commune, iustam rationem hominum mentibus natura inditam: per gentium verò ius, constitutam inter omnes homines æquitatem intelligens. Et ita quidem ius aliud constitutum est, aliud non constitutum. Constitutum in ius gentium & ciuile diuiditur. De gentium iure, quod ciuili antiquius est, satis multa: de iure ciuili alio loco tractabimus. Exposui paucis, non quid Philosophi, sed quid Iurisconsulti de iure eiusque partibus senserint.

Qua

Quo sensu scripserit Vlpianus, iuris nomen à iustitia descendere.

CAPVT II.

AIT Vlpianus: Iuri operã daturum prius nosse oportet vnde nomen iuris descendat. est autem à iustitia appellatum. cap. 1. de iust. & iur. Quum ius iustitia prius sit & antiquius, quomodo illud à iustitia possit descendere, nonnullis visa est quæstio perdifficilis. Existimarem per hoc quòd à iustitia ius descendere contenderit Vlpianus, eum non negasse, ius esse prius iustitia: sed nomen illius iuris, quod iustitia prius est & antiquius, à iustitia existimasse descendere. Ius enim in imaginatione positum est, nec certo nomine alio quàm iuris aut æquitatis designari potest: Iustitia est quædam virtus, qua in reddendo iure constituendoque fungimur. Hæc iustitia dat nomen iuri, non vt ius duntaxat appelletur, quod per eam exercetur: verùm ita, vt ius per iustitiam speciei insuper adsciscat expressam designationem. Nam quum ius ad actionem & exercitium trahimus, tunc iustitia siue virtus illa qua id fit, imponit nomen iuri: & si quidem inter ciues illud fiat, non ius solùm, sed ius ciuile: sin inter gentes, ius gentium vocabitur. Quum enim ius nihil aliud sit quàm iussus, iustitia verò virtus, qua qui sic iubet, præditus est, sequitur vt qui iustitia fungitur, nomen imponat iuri.

Hinc eam Aristoteles Ethicorum lib. v. videri ait affectionẽ animi iustitiam, qua apti sumus ad res iustas gerendas, quaque res iustas facimus & cupimus facere.

Explicatur cap. viij. De appellat. & cap. xlij. De iniur.

CAPVT. III.

QVOD Vlpianus scribit, cùm in vnũ complures voces conferuntur, conuicium appellari, quasi conuocium, ca. xv. §. ij. de iniur. id perpetuò verum nõ est. Nam is qui aliquem reprehendit, etiam si in vnum voces complures non conferantur, rectè nihilominus conuicium facere dicitur. Quo sensu conuicium facere C. Iunio iudici quæstiõnis, pro Cluentio Auito: et pro Quinctio, sustinere quotidianum alicuius conuicium, scripsisse visus est Cicero. Nec est etiam omne cõuicium iniustum, aut inhonestum. Nam posse alicui conuicium iustè honesteque fieri, ostendit Plinius, cùm sic libro sexto Epistol. scribit: Proinde etiam atq; etiam rogo, vt mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videor (nunquam enim cessabo) conuicium facias. Ostendit id ipsum Cicero, sic Cornificio scribẽs Epist. Fam. lib. xij. Meo iustissimo honestissimoque cõuicio, te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse, prouincieque honoribus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Hinc quod Vl-

pianus & Paulus scribunt iudici ab appellatoribus conuicium fieri non oportere, alioquin eos qui conuiciantur, infamia notari plectique duos fratres voluisse, (ca. xlij. de iniur. et cap. viij de appellat.) illud de ijs esse accipiendum rectè videtur qui sententias iudicum reprehendunt, eorumque pronuntiationi contradicunt. Huiusmodi enim homines plecti solere docet euidenter Apuleius in prima Apol. vbi de Sicinio Æmiliano loquitur; quem cùm dixisset, auunculi sui testamentum quod verum sciebat, pro falso infamasse, subiecit: Tanta quidem pertinacia, vt quum Lollius Vrbicus v. c. verum videri, & ratum esse debere, de consilio consularium virorum pronuntiasset, contra clarissimam vocem iurauerit vecordissimus iste tamen, illud testamentum fictum esse, adeo vt ægrè Lollius Vrbicus ab eius pernicie temperarit. Et id quidem adeò verum erat, vt contenderit expressè Plinius, ne interrogare quidē fas esse, de quo pronuntiatum est. Scribit enim Voconio lib. j. Epist. interrogatum se à Regulo, ecquidnam de Metti Modesti, qui à Domitiano relegatus erat, pietate sentiret, his verbis respondisse: Quæris, inquam, quid sentiam? At ego ne interrogare quidem fas puto, de quo pronuntiatum est. Conticuit, inquit Plinius, me laus & gratulatio secuta est, quòd nec famam meam aliquo responso, vtili fortassis, inhonesto tamen læseram, nec me laqueis tam insidiosæ interrogationis inuolue-

inuolueram. Et paulò post: Ecce tibi Regulus. Quæro, inquit, Secundè quid de Modesto sentias: Vides quod periculum si respondissem, bene? quod flagitium, si, malè? Huc accedit quod Sidonius Apollinaris sic epist. lib. j. scribit: Namque hic quoque cumulus accedit laudibus imperatoris, quòd amare palàm licet & capite damnatos. Et hæc quidem quum ita sint, non esse nunc admodum obscurum puto, quid sibi voluerit Paulus Sentent. lib. v. tit. xxxv, quum ita scribit: Eum qui appellat, cum conuicio ipsius iudicis appellare nō oportet: ideoq; quod ita factum est, arbitrio principis vindicatur. Illud enim de eo esse accipiendum dubium non est, qui sic formulam appellationis concipit, vt in ea iudicis sententiam eludat, hunc in modum: *Quia malè iudicatum est, appello*. Id enim fieri boni mores non patiuntur.

Quænam dicantur inaures, & de muliebribus ornamentis quædam non passim obuia.

CAPVT IIII.

ORNAMENTA, inquit Vlpianus, muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter signatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi caussa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, quæ aliam nullam in se vtilitatem habent. cap. xxvj. De aur. arg. leg. Testatur Isidorus, ab

aurium foraminibus, ex quibus precioſi lapilli dependebant, inaures nuncupatas eſſe. Idque veriſſimum eſſe docet apertè diuus Hieronymus. ſic enim in epiſtola quadam Demetriadi ſcribit: Vt taceam de inaurium precijs, candore margaritarum, rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quę ardent & inſaniunt ſtudia matronarum. Accedit & illud eiuſdem ad Lætam: Caue ne aures eius perfores, ne ceruſſa & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas, nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres. Idem Hieronymus eleganter de Romanis matronis, in vita B. Marcellæ viduæ Romanæ diſſerens, ſic ad virginem Principium ſcribit: Illæ ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris precioſiſſima grana ſuſpendere, fragrare muſco murre, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum ſe caruiſſe lætentur. Eoque etiam ſpectat, quod ſic in libro de habitu virginum Cyprianus ſcribit: Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus precioſa cathena, ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo deo digni. Quanam autem ætate conſueuerint aures virginum perforari, optimè in eodem de habitu virginum libro tradidit

didit his verbis Cyprianus: An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali ſæcularis ignara crucietur, vt poſtea de aurium cicatricibus & cauernis precioſa grana dependeant, etſi non ſuo pondere, mercium quantitate? Et hæc quidem de inauribus ſufficerent, niſi de ijs meminiſſem hæreticum quendam nomine Iulianum, eleganter etiam ad Demetriadem virginem ſcripſiſſe, in libro de inſtitutione morum virginis: Sæculi, inquit Iulianus, virgines, quæ ſe nuptijs præparant, & indulgentiam apoſtoli magis quàm conſilium ſequi malunt, magis amplectuntur incontinentiæ remedium, quàm præmium continentiæ; vt ſponſis placeant, eosque in amorem ſui magis incitent, mira ſolicitudine ſe formare ſtudent, & naturalem corporis pulchritudinem, ornandi arte commendant. Hæc eſt illis per dies ſingulos cura præcipua, decentibus fucis colorare faciem, implicare auro crinem, & ardentes concharum lapides capitis honorem facere, ſuſpendere ex auribus patrimonia, brachia ornare monilibus, & latera, incluſas auro gemmas à collo in pectus demittere. Hæc Iulianus: cuius liber de inſtitutione morũ virginis, operum diui Hieronymi tomo quarto præponitur. De inauribus viſus eſt etiam ſentire Seneca in libro de beata vita, dum ita ſcribit: Quare vxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit? Et libro ij. ad Serenum: Quid refert, inquit, quantum ha-

tum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam sellam?

Quo sensu scripserit Vlpianus, vectigalia prædia longo tempore capi posse, cùm eadem prædia non posse vsucapi scripserit expressè Paulus.

CAPVT V.

CIVES Romanos prouinciales q;, in prouincijs prædia possedisse & emancipasse, ex Plinio, Modestino, & Cicerone, in lib. singulari ad leges xij. tab. est à nobis demõstratum. Id ipsum confirmat Hygenus Augusti libertus lib. ij. de limit. constit. Hi agri, inquit, qui redditi sunt, non obligantur vectigalibus, quoniã scilicet prioribus dominis redditi sunt. Accedit huc etiam elegans eiusdem Hygeni, fundorum exceptorum & concessorum differentia. Excepti, inquit, sunt fundi bene meritorum, vt in totum priuati iuris essent, ne Coloniæ vllam munificentiam deberent, essent in solo populi Romani: concessi sunt fundi, è quibus est indultum, cùm possidere vnicuique plus quàm edictum continebat, non liceret. Nec aliò referendum videtur, quod de prædijs prouincialibus hunc in modum Sidonius Apollinaris scribit epist. li. v. Hi sunt qui inuidẽt tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredarijs, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia prouincialibus. Et quia in solo prouinciali prædia quædam

quædam mancipi, quædam nec mancipi fuisse constat: videndum est, hæc ab inuicem qua ratione discernantur. Prædia illa quorum legitimum dominium ad ciuem Romanum, aut ad prouincialem aliquem pertinebat, prædia dicebãtur mancipi, à mancipio, hoc est dominio legitimo. Ea verò prædia quorum proprietas ad populum Romanum aut ad principem spectabat, prouincialibus nuda duntaxat eorum possessione relicta, nec mancipi esse dicebãtur, qualia sunt prædia vectigalia, stipendiaria, & tributaria. Vectigalia enim reipublicæ populi Romani, tributaria verò & stipendiaria principis erant proprietate, vsu verò & fructu possessorum. Et idcirco sic alienari non poterant, vt Romano populo aut principi eorum adimeretur proprietas. Cessione tamen, auctore in fragmentis Vlpiano, rectè alienabãtur: verùm ita, vt illo eodem vtendi fruendi iure, siue, vt Accursianorum verbo vtar, vtili (quod tamen rectius bonitarium appellatur) dominio, quo in huiusmodi prædijs vtebantur, alteri rectè apud prouinciæ præsidem possessores cederent, proprietate interim populo & principi semper salua. cap. lxxj. in fi. de legat. j. Eaque ratione videntur etiam huiusmodi prædia olim longa possessione acquiri consueuisse, quæ tamen vsucapi posse negauit expressè Paulus cap. xij. de Publ. in rem act. Igitur prædia vectigalia vsu non capiuntur, capiuntur tamen longa

possessione . cap. xv. § . xiij . de damno infect. Vsu quidem non capiuntur ea ratione , qua res sacræ & sanctæ non possunt vsucapi. cap. ix . de vsucap. habita scilicet solius iuris , nulla facti consideratione. Vetant,inquit Seneca, iurisconsulti quicquam publicum vsucapi . Et idcirco populo Romano prædiorum istiusmodi nullo vsu , nullo tempore , adimi proprietas potuit. Sed quia vsu & fructu possessorum erant,idcirco non proprietas quidem , verùm vsus eorum & fructus, rectè lõga possessione capi poterant. Nec sanè absurdum est,cùm legimus prędia nec mancipi longa possessione capi, vt eo modo acquiri longa possessione huiusmodi prædia intelligamus , quo per vsum , proprietate salua, possunt acquiri. Proinde sic vsucapi,siue longa possessione(quæ in legitimæ vsucapionis locum diu ante tempora Iustiniani successit) acquiri prædia vectigalia interpretabimur , vt vsus eorum & fructus (solent enim in annos centenos plerunque aut in perpetuum locari) ab improbo possessore alteri in iure cessus, longo tempore sic bona fide possidenti acquiratur , vt verus eorũ possessor , iusta bonæ fidei possessoris prę scriptione , prorsus ab alijs excludatur. Eoque sensu ad possessorem bonæ fidei,prędij vectigalis dominium transire dicebatur,quo libera eodem prædio vtendi fruendi potestas acquisita eidem bonæ fidei possessori longo tempore existimabatur.d.§.xiij.Et ita quæ vsucapi non poterant,

terant, rectè per longam possessionem acquirebantur prædia vectigalia . quod à nemine animaduersum est.

Emendatur, & explicatur Vlpiani locus, de his qui propter loci religionem inde se mouere non possunt.

CAP. VI.

EXPONENDVM est, quid sibi voluerit Vlpianus , quum eos scriberet in ius vocari non posse , qui propter loci religionem inde se mouere non possunt , cap. ij. de in ius voc. Existimo locum hunc corruptum esse, & sic restituendum , vt pro *se mouere* , legamus *semoueri*, atque ita intelligendum , quasi dixerit Vlpianus,eos qui ad aras deorum,aut alium locum aliquem, cuius religio impedit quominus quis inde inuitus semoueatur, confugiunt, vocari in ius, trahi, aut rapi inde non posse. Nec quidem dubium est,quin hi qui ad fana,ad aras Deorum confugiebant , in ijs sic essent tuti , vt inde vocari aut trahi ad prætorem inuiti non possent. Idque à Cicerone, Plauto,& alijs prę claris auctoribus passim traditum est. Cicero in orat.pro domo sua: Hîc aræ sunt,hîc foci,hîc dij penates, hîc sacræ religionis cęremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus , vt inde abripi neminem fas sit. Plautus in Rudente:

Ferte suppetias, qui Veneri Veneriæque antistitæ
More antiquo in custodiam suum cõmiserunt caput.

Et paulò post ——— *Mulieres*

Duæ innocẽtes intus hîc sunt tui indigẽtes auxilij,
Quibus aduorsum ius legesque insignitè iniuria hîc
Facta est, fitque in Veneris fano.

Ælius Lampridius in vita Elagabali, sic de Elagabalo scribit: Hic fertur occiso Macrini factione patre, vt dicebatur, Antonino, in templum Dei Elagabali confugisse, velut in asylum, ne interficeretur à Macrino, qui sæuissimè cum filio luxurioso & crudeli exercuit imperium. Sidonius Apollinaris epist. lib. j. Implet quotidie siluas fugientibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis. Et hæc quidem moris antiqui religionisque prerogatiua tam seruis quàm liberis hominibus competebat. Idq; in eadem comœdia testatur etiam Plautus his verbis:

Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abdu-
D Æ. Est lex apud nos. (cere?

Eoque spectat quod idem Plautus sic in Mostel. scribit,

——— *Immò primùm volo*
Quæstioni accipere seruos. TR. faciundum ædepol
censeo.
Ego interim hanc aram occupabo. TH. Quid ita?
TR. Nullam rem sapis.
Ne enim illi huc confugere possint, quæstioni quos
dabit.

Igitur qui ad huiusmodi locum confugit, cuius impedit religio quominus quis inde semoueatur inuitus, is inde vocari, trahi, aut rapi in ius non potest.

Verus

Verus intellectus cap. xx. D. Comm. diuid.

CAPVT VII.

DIVORVM Seueri & Antonini rescriptum est, ne quis absens puniatur: neq; enim inaudita caussa quenquam damnari æquitatis ratio patitur. cap. j. de req. reis. De hoc rescripto Tertullianus, qui sub istis imperatoribus vixit, sentire omnino visus est in Apologetico, dũ ita scribit: Respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos & inauditos omnino damnari. Ad quod rescriptum etiam referendum videtur quod sic Apuleius scribit, de asino li. x. Nec ad instar barbaricę feritatis, vel tyrannicę impotẽtię, damnaretur aliquis inauditus, & in pace placida tam dirũ sæculo proderetur exemplũ. Ideoq; si reus absens grauius videretur puniendus, hoc casu absens requirendus adnotari solet, vt copiã sui præstet. d. cap. j. Sique ad edictum magistratus non responderet, nec ab aliquo defenderetur, eius bona post annum in fiscum cogebantur. cap. fi. d. tit. Sed quorsum hæc? Nimirum vt intelligamus quid sibi voluerit Pomponius, quum ita scriberet: Si is cum quo fundum communem habes ad edictum non respondit, & ob id motu iudicis villa diruta est, aut arbusta succisa sunt, præstabitur tibi detrimentum iudicio communi diuidundo. cap. xx. Comm. diuid. Florentiæ pro *Ad edictum*, rectius *Ad delictum* quàm, vt Duarenus emẽdauit, *ad delectum*, legitur.

legitur. Ad delictū, & ad edictum non respondere, in effectu eadem sunt. Nam si reus latitans ad edictū magistratus non respondet, certè nec ad delictum respondet quod illi impingitur. Eorum autem qui ad delectum non respondebant, villas dirutas, aut arbusta succisa fuisse, nusquam traditum est. Sanè nefarij sceleris criminisque horrendi reis maximam tunc pœnam constitui, expressè testatur apud Pontifices pro domo sua Cicero, quum domus eorum publicari, euerti & complanari iubetur. Sp. Melij, inquit Cicero, regnum appetentis domus est complanata. Ecquid aliud æquum accidisse Melio populus Romanus iudicauit? Spurij Cassij domus ob eandem causſam euersa, atque in eodem loco ædis posita Telluris. In Vacci prati domus fuit M. Vacci, quæ publicata est & euersa, vt illius facinus memoria & nomine loci notaretur. Et paulò pòst: M. Flaccus quia cum Caio Graccho contra salutem reipublicæ fecerat, & Senatus sententia est interfectus, & eius domus euersa & publicata est, in qua porticum pòst aliquantò Q. Catulus de manubijs Cimbricis fecit. Et hæc quidem omnia etiam Valerij confirmantur auctoritate, qui de Spurio Cassio ad hunc modum scribit lib. vj. cap. iij. Senatus enim, populusque Romanus, non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superiecit, vt penatium quoq; strage puniretur. In eodem loco sic de Spurio Melio scri-

lio scribit idem Valerius: Quantum ergo odij aduersus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent, parietum ac tectorum in quibus versati fuerant, ruinis testabantur. Ideoque & M. Flacci, & L. Saturnini seditiosissimorum ciuiū corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti sunt. Quod igitur Pomponius de villa diruta & succisis arbustis ait, illud ad sceleris atrocioris, præsertim perduellionis, reos latitantes, nec ad edictum magistratus respondentes, pertinere omnino videtur. Quod autem de motu iudicis idem Pomponius scribit, profectò id mihi valde suspectum est, & pro *motu iudicis*, legendum *magistratus imperio*, omni ausim asseueratione contendere; erroremq; ex his notis M. I. exortum videri, quibus tam magistratus imperium quàm motus iudicis designari potuit. Ædes enim damnatorum non motu iudicis, sed magistratus imperio dirui solitas testatur non obscurè Plinius, quum sic in libello de viris illustribus de Lucio Quinctio Cincinnato scribit: Iterum post viginti annos Dictator dictus, Spurium Melium regnum affectantem, à Seruilio Hala magistro equitum occidi iussit. domum eius solo æquauit: vnde locus ille Æquimelium dictus. Porrò si cui hæc non probabitur interpretatio nostra, videat ille an verius ad finium regundorum cōtrouersiam respexerit in hoc responso Pomponius, quàm ad criminis horrendi reos: præsertim cùm sic

Paulus

Paulus etiam scripserit. Sed etsi quis iudici non pareat in succidenda arbore, vel ædificio in fine posito deponēdo, partéue eius, condemnabitur. cap. iiij. §. iij. fi. reg. Vt sic contendisse videri Pomponius possit, eum qui in finibus vicini fundi tanquam in proprijs ædificium aut arborem posuerat, edictis tribus euocatum, nec respondentem, quasi contumacem condemnari, & iudicis qui de finibus cognoscit, motu, ædificium in fine positum, eiúsue partem dirui, aut arborem succidi consueuisse. Et proinde, si fundus reo latitanti cōmunis esset cum alio, solebat actione communi diuidundo omne detrimentum illud, quod is cum quo communis est fundus, passus erat, præstari. Et quamuis hæc ita se habeant, hac tamen interpretatione posteriore idcirco mihi prior illa visa est multò probabilior, quòd in Florentinis pandectis pro *Ad edictum*, expresse *Ad delictum* legi videam. Sed cùm vtraque & ratione & legum constet auctoritate, profectò lectori quam velit amplectendi liberam potestatem facio.

Quo sensu scripserit Vlpianus, calceatum debere præfectum vigilum coërrare.

CAPVT VIII.

CIVES Romanos calceis vsos esse, ex Tertulliano liquet, qui togæ tormētum propriū calceos fuisse contendit in libro de pallio his verbis: Calceos nihil dico, proprium togæ

togę tormentū, immundissimā pedum tutelam. Idem auctor est, calceos quosdam mulleolos, quosdam puros fuisse. Impuro, inquit, cruri purum aut mulleolum inducit calceum. Et quia lunulas illos qui nobilitate apud Romanos præstare videbantur, in calceis tulisse refert in problematibus Plutarchus, idcirco dubium non videtur quin per mulleolos, lunulatos calceos, & per puros, eos qui ex puro corio sine lunulis facti erant, qui perones appellantur, intelexerit Tertullianus: vel hinc potissimùm, quòd mulleis reges Albanorum primos, deinde patricios vsos esse scripserit Pompeius Festus. Eoque sensu calceos patricios esse accipiendos puto in hac inscriptione: ÆDEM HONORI ET VIRTVTI FECIT, VESTE TRIVMPHALI, CALCEIS PATRICIEIS. Nec sanè ijsdem vsi sunt Romani magistratus calceis. Ex ijs enim quidam mulleis, quidam peronibus induebantur: curules magistratus mulleos lunulatos, ceteri perones gestabant. Idque Marcum Catonem testis est idem Festus, originum libro septimo sic scripsisse: *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos allucinatos, ceteri perones.* Quo quidem in loco pro *allucinatos*, aut *alutatos*, aut *lunulatos* esse legendum, rectè vir quidam eruditus admonuit. Per perones autem non rusticos cum Seruio, sed potius cum Tertulliano puros calceos intelligemus: quibus per niues, imbres, & glaciem veteres etiam vsos

esse

esse Iuuenalis his versibus auctor est Sat. xiiij.

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi.

Eodem sensu perones accepisse videtur Sidonius Apollinaris epist. lib. iiij. Quorum pedes, inquit, primi perone setoso talos ad vsque vinciebantur, genua, crura, suræque sine tegmine. Et hæc quidem verissima sunt. Proinde quod ait Vlpianus, calceatum debere præfectum vigilum coërrare, cap. iij. §. iij. de offic. præf. vigil. illud ad perones, non autem ad mulleolos trahendum videtur. tum quòd magistratus iste curulis non sit, (qui curulis magistratus solus inter magistratus reliquos, vti mulleis solet, vt ex Catone probatum est:) tum etiam quòd intempesta nocte per niues, per glaciem & imbres præfectus vigilum coërraret: siquidem mulleoli ex alutis, hoc est mollioribus pellibus facti, lunulatique præfecto vigilum coërranti nulla ratione conueniebant. Quamuis interim dubium non sit, quin inter magistratuum & ciuium priuatorum perones fuerit nonnihil discriminis. Fortassis lapillis quibusdam, gemmisque preciosis magistratuum perones exornabantur. Idque eò mihi facilius persuaderi potest, quòd sic in libro de habitu virginis scripserit Tertullianus: Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt.

De

De atrocioribus iniurijs quædam non vulgaria.

CAPVT IX.

ATROCEM iniuriam aut persona, aut tempore, aut re ipsa fieri apud Vlpianum ait Labeo. Persona iniuriam atrociorem fieri, quum magistratui, quum parenti patronóue, &, vt Iulius Paulus scribit, quoties senatori, vel equiti Romano, decurioni, vel aliàs spectatæ auctoritatis viro, iniuria fit: tempore, si in ludis, & in conspectu Prætoris: re atrocem iniuriam haberi idem Labeo ait, vtputa si vulnus illatũ, aut os alicui percussum sit. cap. vij. in fi. de iniur. De atroci iniuria quæ persona fit, sic scribit eleganter Saluianus lib. vij. de prouidentia Dei: Si illustrem aut præpotentem nequaquam exhonorari à quoquam licet, & si quisquam exhonorauerit, decretis legalibus reus existit, & iniuriarum actor iure damnatur: quantò itaque maius crimen est, iniurioſum quempiam Deo esse? Semper enim per dignitatẽ iniuriam perferentis, crescit culpa facientis: quia necesse est, quantò maior est persona quæ contumeliam patitur, tantò maior sit noxia eius qui facit. Et id quidem adeò verum fuisse sequenti libro testatur idem Saluianus, vt iniuriæ etiam leuiores, illustriori tamen personæ aut sublimiori factæ, pro atrocioribus haberentur. Deum ergo, inquit, ô homo, incuriosum & negligẽtem vocas.

C si quem-

si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, iniuriarum insolentium reus esses: certè si illustriorem quempiam aut sublimiorem, etiam censuram iuris publici sustineres. Pupillis enim vel maximè prodigis hęc obijciuntur opprobria, perditorum hoc adolescentium speciale conuicium est, vt abusores scilicet & incurioſi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. Ceterùm tempore atrox efficitur iniuria, si in ludis & in conspectu prætoris eam fieri contingat. Ad ludos spectat illud Arnobij libro iiij. aduersus gentes. Magistratum in ordinem redigere, aut senatorem conuicio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis. Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemuiralibus scitis euadere noluistis impunè: ac ne vestras aures conuicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniurijs. Huc etiam referri debet, quod apud Cassiodorum Variarum libro i. sic populo Romano rex Theodoricus dicitur scripsisse: Atque ideo edictali programmate definimus, vt si atroces iniurias in quempiam senatorum vox iniusta præsumpserit, nouerit se à præfecto vrbis legibus audiẽdum, vt pro facti qualitate discussa excipiat promulgatam iure sententiam. Quod autem ad iniuriam attinet, quę in conspectu prætoris fit, id nuper cuidam eruditissimo interpreti visum est apud

est apud Vlpianum mendosum esse, existimanti, IN CONSPECTV POPVLI ROMANI legendum. Assentirer optimo viro, si sic scripsisset Vlpianus: *Tempore, si ludis, in conspectu prætoris.* Sed quia sic scipsit: *si ludis & in conspectu prætoris*, non dubito quin hęc verba, licet coniuncta videantur, pro separatis tamen accipienda sint: sicut illa in duodecim tabulis, *agnatorum, gẽtiliumque:* Item, *nexum, mancipiúmque.* Et idcirco dubium mihi non videtur, quin tam de ijs iniurijs, quæ in iure, in conspectu prætoris pro tribunali sedentis, quàm de ijs quæ in ludis fiunt, Vlpianus hic sentiat. Siquidem tanti esse conspectus prætoris potest, præsertim pro tribunali sedentis, vt ei rectè solitudo esse aduersa possit. Festus enim auctor est, tertio modo conuentum intelligi, quum à magistratibus iudicij caussa populus congregatur. Idque etiam ex Apuleio constat, qui sic scribit in apologia secunda: Testor te Claudi Maxime, vósque qui in consilio estis, vósque etiam qui tribunal mecum assistitis. Eóque omnino spectare videntur hæc Vlpiani verba: *Nam in prætoris conspectu, an in solitudine iniuria facta sit, multum interesse ait: quia atrocior est, quæ in conspectu fiat.* Quo in loco haud dubiè illa fieri in prætoris conspectu iniuria dicitur, quam dicunt practici in facie iudicis fieri. Et hæc quidem interpretatio nostra eò videri probabilior potest, quòd eam quoque iniuriam definierit

definierit Vlpianus atrocem, qua in theatro quis vel in foro cæditur: cap. ix. in princ. de iniurijs. Haud dubiè per theatrum, ludos; & per forum, prætoris conſpectum ex Labeonis ſententia intelligens. cap. ix. §. j. de pœnis.

De tutela feminarum, deque lege Claudia tutelari noua diſputatio.

CAPVT X.

DE TVTELA feminarum non tanta eſt obſcuritas, quantam eſſe plerique exiſtimant. Mulieres contendit Cicero teneri perpetua tutela, quas tamen Iuriſconſulti anno duodecimo tutela liberari tradiderunt. Et vtrumque veriſſimum eſt. Erat enim tutela pupillaris, quæ anno duodecimo finiri ſolet: erat etiam muliebris tutela, qua feminæ per in manus conuentionem & Veſte ſacerdotiũ duntaxat liberabantur. Proinde quum dixiſſet pro Murena Cicero, mulieres omnes propter infirmitatem conſilj, in tutorum poteſtate eſſe, ad Iuriſconſultos conuerſus: Hi, inquit, inuenerunt genera tutorum, quæ poteſtate mulierum continerentur. Itaque moris olim fuit, vt virgines ad annum vſque duodecimum ſub tutoribus vel teſtamento datis vel legitimis agerent, & finitis annis pupillaribus, quia infirmitate conſilij rebus proprijs ſupereſſe non poterant, & more maiorum nihil agere ſine auctoritate, (quemadmodum refert Portius Cato legem

gem Oppiam ſuadens, apud Liuium lib. xxj.) ſi tutores onere tutelę defungi vellent, poterant in iure alteri tutela cedere: & is cui tutela cedebatur, ceſſicus tutor; tutelaque ceſſa, ceſſitia tutela dicebatur. Quò ſpectat quod in frag. Vlpiani tit. de tutelis ſic legimus: Permiſſum erat in iure, cedere tutela, feminarum tantùm, non etiam maſculorum. Certè quia maſculi, ætate pupillari finita, omni modo liberabantur tutela: feminæ verò non item. Nec quidem ante legem Claudiam vlla tutelarum in huiuſmodi ceſſionibus haberi ſolet ratio: ſed ita tutela paſſim cedebatur, vt is qui pupillæ tutor, licet legitimus, tanquam proximus agnatus, fuerat, onere tutelæ, finita ætate pupillari, ſtatim ſi vellet liberaretur, alijque ex agnatis poſt eum proximis in iure tutela cederet. Quod quum ſatis iniquum eſſe diuus Claudius animaduertiſſet, legem edidit, qua legitimas feminarum tutelas ſuſtineri voluit. De qua lege ſic ſcripſit in d. tit. de tutelis idem Vlpianus: Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtinet. Sunt qui non rectè pro *ſuſtinet* legendum eſſe *ſuſtulit* contendunt. Senſus enim illius loci eſt, quia lex Claudia legitimas feminarum tutelas ſuſtinet, ideo quantum ad agnatos pertinet, hodie ceſſitia tutela (quæ in ſolis feminarum tutelis olim habebat locum) non procedit: ſic nimirum, vt legitimus pupillæ tutor, finita ætate pupillari, alteri ex agnatis tutela cedere amplius poſſit.

Igitur diuus Claudius legitimas feminarum tutelas non sustulit, sed sustinuit, hoc est distulit, vltra pubertatis tempus prorogauit, seu potius continuauit. Eam enim esse verbi *sustinere* significationem, nemo est qui non iudicet ex ca. xlij. de noxalib. act. Eodémque sensu accepisse verbum *sustinere* visus est etiam Cicero ad Atticum lib. xij. Sustinenda tamen, inquit, si tibi videbitur, solutio est nominis Cereliani, dum & de Metone & de Faberio sciamus. Nec quidem ignoro, quid de lege Claudia per legem Constantini sublata rescripserit imperator Leo capite iij. C. de leg. tut. Sed quia legis Claudiæ diuersa fuisse capita videntur, Constantini & Leonis constitutiones ad aliam Claudiæ legis clausulam quàm ad hanc esse referendas, coniectura probabili demonstrabo. Nusquam legitimas feminarum tutelas omnino sustulisse diuum Claudium, vel Leo vel Constantinus auctores sunt. Sanè lege duodecim tabularum agnati pupillorum pupillarúmque tutores erãt legitimi: sed ita quidem, vt eadem lege certus esse agnatorum ordo descriptus videretur. Sic nimirum, vt agnatus proximus, vel proximi, reliquis in administratione tutelæ præferrentur. capit. iij. §. i. de leg. tut. Ad quem ordinem visus est Iustinianus respexisse, quos ad hereditatem lex vocat, eosdem tutores esse contendens: quia plerunque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. §. vnic. Inst. de legit. pat. tut. Igitur si agnatus proximus familiam solet habere, consequi rectè videtur, ad eundem etiam tutelæ onus pertinuisse, non autem ad omnes agnatos. Ideóque ex vera legis interpretatione hic ordo seruari solet, vt consanguineus patruo præferretur, non contrà patruus consanguineo, id est fratri. Cæterùm Diuus Claudius hunc lege constitutum ordinem noua lege sustulit, & consulibus eam dedit auctoritatem vt pupillis extra ordinem, hoc est, non seruato ordine agnatorum legitimo, ex agnatis eligere tutores possent, ad functionem huiusmodi maximè idoneos. Sic tamen vt proximiores, si quidem satis essent idonei, seruato antiqui iuris ordine tutores essent: sin verò inter agnatos magis inuenirentur proximioribus idonei, illi tutelam administrarent. Et idcirco ex inquisitione tutores dare consules dicebantur. §. Sed ex his, Inst. de Attil. tuto. capite j. de confir. tutore. Eáque consulum inquisitio tam ad eos tutores qui extra ordinem quàm ad eos qui testamento dabantur, omnino pertinet, non autem ad cautionem Rem pupilli saluam fore, vt quidam nugantur. Est enim ea cautio prætoria: capite j. de prætor. stipulationib. Nimirum à prætore tutelari primùm excogitata. Hæc quum ita sint, iam facilè intelligimus, quid sibi velit hæc Claudiæ legis apud Suetonium breuis clausula, qua sanxisse diuus Claudius dicitur, vt pupillis

pillis tutores dari extra ordinem possent. Verba Suetonij hæc sunt in vita Claudij: *Sanxit vt pupillis extra ordinem tutores à consulibus darentur:* hoc est, sanxit vt pupillis non obseruato agnatorum ordine legitimo tutores darentur. Vt sic ea ratione dare tutores extra ordinem, scripsisse Suetonium non sit dubium, qua Vlpianus dixit, *extra ordinem ferias indicere,* cap. xxvj. §. v. Ex quib. causs. maior. hoc est, non obseruato aliquo statarum solenniumque feriarum ordine. Nec quidem nos moueat, quòd scripserit Vlpianus, legitimos tutores neminem dare, sed eos legem duodecim tabularum tutores facere, cap. v. de legit. tut. Illud enim tunc locum obtinebat, cùm extra ordinem nullus necessariò eligendus esset tutor. Tunc autem legitimus tutor non dabatur, sed ipso decemuirali iure tutor efficiebatur. Quem si propinqui probarent ad tutelæ functionem esse omnino inidoneum, consulibus eam tribuebat diuus Claudius potestatem, vt extra ordinem in locum illius alium ex agnatis idoneum surrogarent. Et sic quidem ex inquisitione tutores dare consules dicebantur. Quod autem quidam dicunt, *extra ordinem* idem esse omnino quod *de plano,* id sanè plus est quàm nugatorium. Nam quum dico, extra ordinem ferias indicere, quid subintelligo? nónne, feriarum? Quid item quum dico, extra ordinem tutores dare? nónne idem est ac si dicerem, extra ordinem tutorum, tutores dare?

res dare? Quis est, quæso, tutorum ordo, qui legitimus non est? Agnati siquidem vt ad successionem, sic ad tutelam lege duodecim tabularum ordine vocantur: quo ordine non seruato, si tutor detur, dari tutor extra ordinem rectè dicitur. cap. xij. §. ij. in fine, de relig. & sumpt. funer. Idque adeo verum est, vt eadem propemodum ratione, in quodam imperatorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij rescripto, de alio ordine dari minoribus defensores iubeantur, l. iij. in fi. C. Th. de tut. & curat. creand. hoc est, de ordine cognatorum, eo quòd nulli supereesset legitimi. Ceterùm non tam Constantinus, pro antiqui iuris auctoritate, quàm prætor tutelaris, diu ante Constantinum Claudiam hanc legem visus est primus sustulisse. Is siquidem agnatorum ordinem legitimum semper esse in tutelis obseruandum sic statuit, vt proximus agnatus etiam ad tutelam inidoneus, legitimus tutor esset, penes idoneum administratione relicta, cap. xiij. de curat. fur. Et tunc quidem primùm in vsu fuisse prætoria, rem pupilli saluam fore, cautio videtur. Constantinus autem ius antiquum, quo certus agnatorum ordo seruari solet, contra legem Claudiam in feminarum tutelis recipi, expresso quodam rescripto voluisse visus est, cap. ij. c. Th. dict. tit. Igitur ante orationem diui Claudij, cõsanguineus, patruus, & reliqui agnati, quo ad successionem, eodem ordine ad tutelam vocabantur. Diuus

deinde Claudius, ordinem in ſucceſſionibus duntaxat, non autem in tutelis ſemper obſeruari voluit. Prætor denique tutelaris contra Claudiam legem ſecundum ius antiquum edixit. Quod quidem prætoris edictum Conſtantinus & Leo Impp. expreſſis reſcriptis confirmaſſe, & ad tutelas feminarum legitimas traxiſſe viſi ſunt, ḡ. cap. ij. & cap. iij. C. de legit. tut. Duo itaque fuiſſe videntur legis Claudiæ capita: vnum quidem, quo ordinem legitimorum tutorum non ſemper eſſe obſeruandum, viſus eſt diuus Claudius conſtituiſſe: alterum verò, quo legitimas feminarum tutelas ſuſtinuit, & vltra pubertatis tempus prorogauit.

Demonſtratur Triboniani de compenſationibus manifeſtus error. CAP. XI.

AIT Vlpianus: Quoties ex maleficio oritur actio, vtputa ex cauſsa furtiua, ceterorumque maleficiorum, ſi de ea pecuniariè agitur, compenſatio locum habet, cap. x. §. ij. de compenſat. Quomodo autem huiuſmodi ſoleat compenſatio fieri, optimè docet his verbis Seneca, de benefic. lib. vj. Sic debitori ſuo creditor ſæpe damnatur, vbi plus ex alia cauſsa abſtulit, quàm credito petit. Non tantùm inter creditorem & debitorem iudex ſedet, qui dicat, pecuniam credidiſti. Quid ergo? pecus abegiſti, ſeruum eius occidiſti, argentum quod non emeras poſſides: æſtimatione facta, debitor diſcede, qui creditor veneras. Loquitur Seneca de pecunia credita, hoc eſt non depoſita, ſed mutua, ca. xj. de reb. cred. Et ſic quidem ſatis tam ex Seneca quàm ex Vlpiano perſpicuum eſt, in ijs etiam quæ ex maleficijs oriuntur actionibus, locum fuiſſe cōpenſationi. Proinde ſi rem apud me depoſueris, & mihi poſtea furtum feceris: quæri ſolet an compenſatio locum habeat. Et quidem ante Iuſtiniani tempora locum videri in hac ſpecie compenſationi alicui fuiſſe, ex eo probari poteſt, quòd ſcripſerit expreſsè Tribonianus, ne in actione depoſiti compenſatio locum habeat, Iuſtiniani primùm ſanctione diſpoſitum eſſe, §. In bonæ fidei. Inſt. de act. cap. fi. C. de compenſat. Id ſi verum eſt, cōſequi ergo rectè videtur, ante tempora Iuſtiniani reprobatam omnino non fuiſſe in cauſsa depoſiti compenſationem. Quod tamen falſum eſſe, intelligi ex Paulo euidēter poteſt. Sic enim ſcribit Paulus Sentent. lib. ij. tit. xij. In cauſsa depoſiti compenſationi locus non eſt, ſed res ipſa reddenda eſt. Si dixeris, id ijs qui in libris Sentent. Pauli plurima transformarunt, acceptum ferendū eſſe: audi quid Seneca ſcripſerit in eodem libro ſexto. Separantur actiones, inquit Seneca: & de eo quod agimus, de eodem nobiſcum agitur. Confunditur formula, ſi qui apud me pecuniam depoſuerit, idem mihi poſtea furtum fecerit, & ego cum illo furti agam, & ille mecum depoſiti. Quæ propoſuiſti, mi Liberalis, exempla, certis legibus conti-

continentur, quas necesse est sequi. Lex legi non miscetur, vtraque sua via habet actionem propriam, tam mehercule quàm depositum, quàm furtum. Hæc Seneca. Ex quo loco satis esse manifestum puto, in depositi caussa, etiam Senecæ (qui sub Nerone floruit) temporibus locum non fuisse compensationi. Vt enim lex legi non miscetur, sic nec furtum misceri depositò testatur expressè Seneca. Si depositò furtum non miscetur, ergo nec admitti huiusmodi formularum confusio debet, nec per consequens furto pẽsari depositum potest: sed sua via actionem habet propriam, sine aliqua formularum confusione, tam depositum quàm furtum. Et hoc nimirum illud est, quod sibi volunt hæc Pauli verba: *Sed res ipsa reddenda est.* Idque mihi sic videtur.

Quo sensu accipiendum sit quod scripsit Vlpianus, statores suos habere in prouincijs proconsulem non posse.

CAPVT XII.

LAMPRIDIVS auctor est, Alexandrum imperatorẽ, ne ante tribunos aut duces, apparitores irent, prohibuisse. Apparitores, inquit, nullos esse passus est tribunis aut ducibus, milites antè ire voluit: iussitque vt ante tribunum quatuor milites ambularent, ante ducem sex, ante legatum decem, hique ad domos suas reciperentur. Et quia statores apparitores sunt, profectò dubium nõ videtur, quin ad hanc Alexandri constitutionem respexerit Vlpianus, quum ita scriberet: Nemo proconsulum statores suos habere potest, sed vice eorum milites ministerio in prouincijs funguntur, cap. iiij. in princ. de offic. proconsul. Vt sic quidem non solùm ducibus, legatis, & tribunis statores suos esse, hoc est domesticos apparitores, prohibuerit imperator Alexander, sed etiam prouinciarum præsidibus & proconsulibus eosdem denegauerit. Quasi dixerit Vlpianus: si quò proconsuli exeundum sit, nullos habebit domesticos apparitores, sed milites ante eum ambulabunt. Et quia hi milites proconsulum domestici non erant, ideo in prætorium proconsule reducto, sese ad domos suas recipiebant. Et hæc quidem omnium primus sic visus est constituisse Alexander imperator. Olim enim sub C. Cæsare, Augusto, & ceteris qui ad Alexandrum vsque Augustum subsequũtur, imperatoribus, statores suos, hoc est domesticos apparitores, videntur in prouincijs proconsules habuisse. Eoque pertinet quod Cicero, quum proconsul esset & imperator, sic C. Cęlio quæstori scripsit, epist. Famil. lib. ij. Quæ quum essent incerta, existimaui tamen esse faciundum, vt ad te statores meos & lictores cũm litteris mitterem.

Explicatur L. Qui Romæ, §. Flauius, De verb. obligat.

CAPVT XIII.

FLA-

FLAVIVS Claudio Stichum ea lege donauit, vt manumitteretur; adiecta pœnali stipulatione, si non manumitteretur, & vindicta liberaretur: quæsitum est, an de libertate Stichi Claudius conueniri à Flauio possit. Et posse quidem Scæuola contendit cap. cxxij. §. Flauius, de verb. obligat. Qui huic responso diuorum Marci & Commodi obijciunt rescriptum, hi non animaduerterunt, fuisse Hadriani quandam constitutionem rescripto diui Marci abrogatam: quæ Hadriani constitutio Scæuolæ temporibus in vsu erat. De seruis enim ea conditione venditis aut donatis, (nihil enim interest, cap. vij. §. vij. de donat. inter vir. & vx. cap. xx. de manumiss. cap. xvj. §. j. de manumiss. vind.) vt manumittantur, rescripta duo in pandectis inueniuntur: vnum quidem diui Hadriani, alterum verò diui Marci. Hadrianus voluit huiusmodi seruos aliter liberos non fieri, quàm si manumitterentur: & idcirco donatarios emptoresque vt manumittant cogendos esse. Contrà, diuus Marcus non necessariã esse manumissionem, sed ipso iure seruos huiusmodi conditione alienatos, fieri liberos, in semestribus constituit, quemadmodum Scæuola & Claudius scribunt, ca. fi. de ser. expor. Qui quidem Scæuola eo tempore vixit, quo simul imperabãt M. Antoninus Philosophus, et L. Ælius Verus. Antoninum enim Philosophum vsum esse Scæuola iurisperito testatur Capitolinus: quo

quo tempore in vsu erat Hadriani constitutio. Nam ea quæ diuo Marco adscribitur, tunc demum lata est, cùm Antoninus & Commodus simul imperabant, cap. iij. Qui sine manumiss. ad liber. per. Quo tempore floruisse Scæuolam nunquam inuenies. Proinde temporibus Scæuolæ, quia ex diui Hadriani constitutione serui huiusmodi conditione alienati, sine manumissione ad libertatem non perueniebant: idcirco rectissimè visus est scripsisse idem Scæuola, serui nomine hac conditione donati vt manumittatur, donatarium conueniri posse. d. §. Flauius. Nam quòd in eodem illo Scæuolæ responso, in quo de rescripto Hadriani disseritur, etiam constitutionis diui Marci facta sit mentio, (dicto capite finali) illud ad Scæuolam referri non debere satis indicat verbum CLAVDIVS. Quo verbo significari videtur, ea quę de Marci constitutione responso Scæuolæ adiecta sunt, non ipsi Scæuolę, sed Claudio Tryphonino adscribenda esse; & sic intelligenda, quasi ius illud quo primùm post tempora Scæuolæ populus Romanus ex Antonini & Commodi rescripto vti cœpit, responso Scæuolæ Claudius adiecerit. Claudium enim quendam ad Scæuolã notas scripsisse, indicat hæc epigraphe cap. xxxj. D. de legat. lib. iij. *Apud Scæuolam libro octauo decimo digestorum Claudius notat.* Esse autem Claudium hunc Claudium Tryphoninum, ex cap. lviij. de adminis. tut. constat.

Emenda-

Emendatur L. Si arbiter, D. De probat.

CAPVT XIIII.

RESPONSVM istud Labeonis, quod deprauatissimum est, in pristinam integritatẽ restituere visum est operæprecium. Et constat quidem sic in Florentinis pandectis non rectè legi: Et *hoc ita quod Græci dicere solent.* ΕΝ ΠΛΑΤΕΙ *enim potest hoc memoria non teneri, intra annum puta factum.* Ego locum hunc sic esse puto restituendum: *Et hoc ita quod Græci dicere solent* ΕΝ ΠΛΑΤΕΙ. *Non enim potest hoc memoria non teneri, intra annum, puta, factum: cùm interim nemo sit eorũ qui meminerit, quibus consulibus id fieri viderit.* Vt sit sensus: Quum quæritur an operis facti memoria extat, nõ hoc quæritur, an aliquis meminerit quo die aut quo consule illud factum sit: sed satis est vt meminerit intra annum vnum aut alterum, tres, decem aut viginti annos, & ita deinceps, opus factũ esse. cap. ij. §. viij. de aqua & aq. plu. arc. Et hoc ΕΝ ΠΛΑΤΕΙ fieri idcirco dicitur, quia operis facti memoria ad liquidum oratione non perducitur, quemadmodum fit quum dies & consul exprimuntur, d. §. viij. Sic enim ἐν πλάτῃ accipiendũ esse, eleganter docet noster Iacobus Curtius, ad Curtium fratrem ἐκατῶν lib. j. cap. xviij. Est & alius in eodem responso mendosus locus: cui medebimur, postquã admonuerimus in Florentinis pandectis postremã huius responsi partem præcedentibus eiusdem responsi clausulis non rectè sine interpunctione adhærere, hunc in modum: *Cùm interim nemo sit eorum qui meminerit quibus Consulibus id fieri viderit, sed cùm omnium hæc est opinio &c.* Sic enim locus hic emendandus est, vt ab his verbis, *Sed cùm omnium*, noua initium sumat huius responsi clausula, hoc modo: *Sed quum omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, quum id opus fieret, neque ex ijs audisse, qui vidissent aut audissent, & hoc infinitè: similiter sursum versum accidet, quasi memoria operis facti non extaret.* Ecce quàm sit elegans & perspicua posterioris huius responsi partis sententia, leui correctione huiusmodi adhibita, vt *Quasi*, pro *Quum*, legamus. Sanè in notarum interpretatione frequẽter esse allucinatum Tribonianum, sæpius demonstratum est: idque ab eodem hîc factum esse omnino videtur. siquidem hæ particulæ, *Quasi*, *quum*, et *quod*, solent ferè notis ijsdem designari.

Quot fuerint pecuniarum fide publica deponendarum apud Romanos rationes.

CAPVT XV.

APVD nummularios, mensarios, siue argentarios (quos Comici interdum appellant trapezitas, interdum danistas) duobus modis deponi pecuniæ solent: nimirum aut custodiæ aut fœnoris gratia. cap. vij. §. ij. depositi. cap. l. de admin. & per. tut. De priore modo sic scribit Plautus in Capt.

Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.

De poſteriore apud eundem Plautum in Moſtel. legimus, vbi daniſtam ſic loquẽtem introducit:

Sceleſtiorem ego annum locando argento fœnori
Nunquam vllum vidi, quàm hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem totum vſque in foro ago diem,
Locare argenti nemini nummum queo.

Qui autem cuſtodiæ cauſſa pecunias apud mẽſam deponebant, hi fidem publicam ſequebantur; et ijs qui idipſum fœnoris gratia faciebant, alijſque creditoribus cunctis præferebãtur. cap. xxiiij. §. ij. de reb. auctorit. iud. poſſid. Eóſque qui non fœnoris ſed cuſtodię cauſſa apud trapezitas pecuniam deponebant, publicè illam depoſuiſſe ex Papiniano colligi poteſt, cap. lvj. §. i. Mãd. cap. xxiiij. §. ij. de reb. auct. iud. poſſ. Quo ſenſu, in loco publico pecuniam deponere conſignatam, viſus eſt etiam Hermogenianus dixiſſe cap. lxiiij. de fideiuſſor. Tabernas etiam argentarias publicas fuiſſe, expreſſè teſtatus eſt Vlpianus cap. xxxij. de contrah. empt. d. §. ij. Et certè duplex olim fuiſſe, cuſtodię cauſſa, rerum fide publica deponendarum ratio videtur. Aut enim in loco publico apud menſam nummulariorum, aut in loco ſacro apud ſacerdotem ædis alicuius, vel fani, pecunię deponebantur. De pecunijs quę in æde cuſtodiebantur, ſcribit elegan-

ganter hũc in modum Plautus in Bacchidibus:

Nos ibi apud Theotimum omne aurum depoſuimus
Qui illic ſacerdos eſt in Dianæ Epheſiæ.

Et paulò pòſt,

Quin ipſa in æde Dianæ conditum eſt, ibi
Demum publicitus ſeruant.

Eóque ſenſu, rem pecuniámque ſignatã in æde deponere, viſus eſt etiam Vlpianus ſcripſiſſe cap. i. §. xxiiij. cum §. ſeq. depoſ. Per ædem enim, ædem ſacram apud Vlpianum intelligi, docet his verbis Iulius Paulus: Sed conſtat, vt ante litem conteſtatam præſes iubeat in æde ſacra pecuniam deponi. cap. lxxiij. de procurat. cap. v. Ad l. Iul. pecul. Porro hęc omnia, in æde, in fano, apud ædituum, & apud pontificem deponere, eadem ſunt. De pecunijs quę in fano ponebantur, ſic ſcribit lib. v. epiſt. famil. Cicero: Nam de Luceio eſt ita actum, vt auctore Cn. Pompeio iſta pecunia in fano poneretur. Et paulò pòſt: Illud me non aduertiſſe moleſtè ferrem, vt adſcriberem te in fano pecuniam iuſſu meo depoſuiſſe. Idem Cicero lib. xv. ad Atticum ſic ſcribit: Quum ex reliquis, quę Nonis April. fecit, abundarem, cogor mutuari: quodque ex iſtis fructuoſis rebus receptum eſt, id ego ad illud fanum ſepoſitum putabam. Eos quoque qui apud pontificem pecuniam deponebant, eam in æde ſiue in fano depoſuiſſe, non eſt obſcurum, ſi conſideremus ſacerdotes etiam põtifices veteribus appellatos fuiſſe, quo ſenſu

collegium ſacerdotum, collegium pontificum appellatum eſt à Pomponio. Eoque ſenſu accipiendum eſt quod ita Varro ſcribit lib. v. de lingua latina: Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, à ſacro ſacramentum. Qui petebat & qui inficiabatur, de alijs rebus vterque quingentos aſſes apud pontificem deponebant. Sic locus hic legendus eſt, non autem *Quingentos æris*, non *apud pontem*, vt malè paſſim legitur. eiuſque hæc eſt ſententia: Litigatores de alijs rebus quingentos aſſes, de alijs certum item ac legitimũ numerum aſſium, apud ædis alicuius ſacræ ſiue fani ſacerdotem deponebant. Sic enim hoc in loco pontificem eſſe accipiendum, ſatis etiam demonſtrant hæc eiuſdem Varronis verba ſubſequẽtia: *Qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Ædituus Theophilo ſacerdos dicitur, qui ſacras ędes tuetur. Feſtus autem non ſacerdotem, ſed eũ eſſe ædituum ait, qui ſacræ ędis tutor eſt, hoc eſt illius curam gerit. Et eſt vtrumque veriſſimum, ſed diuerſo reſpectu. Ædituus enim ſacerdos, ædis cuſtodiæ præerat, ne fortè fur aliquis aut nocturnus in eam irreperet latro. Ille verò ædituus qui curam gerebat ædis ſacræ, nec ſacerdos erat, nec habitabat in æde: ſed vt omnia ſarta eſſent in ea, & tecta, ſedulã operam periculo ſuo dabat. de quo nullus eſt hic diſſerendi locus. De ijs autem qui ſacrarum ædium cuſtodiæ præerant, ſcribit eleganter Arnobius

nobius aduerſus gentes lib. vj. Et tamen, ô iſti, inquit, ſi apertum vobis & liquidum eſt, in ſignorum viſceribus deos viuere, atque habitare cælites: cur eos ſub validiſſimis clauibus, ingentibuſque clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, alijſq; huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos: ac ne fortè fur aliquis aut nocturnus irrepat latro, ædituîs mille protegitis, atque excubitoribus mille? De his ſentire viſus eſt etiam in Octauio M. Minucius Felix, quum ita ſcriberet: Frequentius denique in ædituorum cellulis quàm in ipſis lupanaribus flagrans libido defungitur. Addatur illud Tertulliani, de cultu feminarum: Eius templi ædituus & antiſtes pudicitia eſt. Et de anima: Quid ſi ab ædituo redempta clam inſpectione cognouit? Hinc intelligere mihi nunc videor, quid ſibi voluerit Vlpianus, quum ita ſcriberet: Proinde & ſi cuſtodiam tabularum ædituus vel tabularius ſuſcepit, dicendum eſt teneri eum interdicto, cap. iij. §. iij. de tab. exhib. Non enim dubito, quin de ijs tabulis Vlpianus hic ſentiat, quæ vel priuatim apud tabularium, vel publicè in æde, in fano, apud eius antiſtitem, ſiue pontificem, cuſtodiæ cauſſa deponebantur. Eoque ſenſu ædituum viſus eſt etiam accepiſſe Paulus in cap. ix. §. j. Ad l. Iul. pecul. & Papinianus in ca. lxxvij. §. xxvj. de leg. ij. Et ſic quidem in æde, in fano, apud pontificem & apud ædituum deponere, eadem eſſe omnino videntur. His ita

expositis, videamus nunc de mensæ rationibus, & quidnam sit, pecuniam de domo numerare. Gellius lib. xiiij. cap. ij. auctor est, expensi latione, mensę rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione probari olim solere pecuniam deberi: haud dubiè per mensę rationes, nummulariorum rationes intelligens, quas mensæ scripturam & negotium mensæ appellat Vlpianus cap. xxvij. de furt. cap. lxxvij. §. xvj. de leg. ij. cap. xxviij. §. viij. de lib. leg. Quia enim apud mensam veteres magnam pecuniæ partem deponebant custodię caussa: idcirco eueniebat sæpenumero, vt à debitoribus interdū quidem de domo, interdum verò de mēsa creditorib. satisfieret. Siq; in foro ab argētarijs pecuniæ fieret numeratio, in tabulis addebatur, *ex mensæ scriptura:* sin verò domi, syngraphę adscribebatur, *ex cista*, vel, *ex arca*: auctore in Terentium Donato. Eoque referendum est, quod sic apud Scæuolam legimus, *Decem quæ Lucius Titius ex arca tua acceperat*: & apud Marcellum, *Si domi pecuniam fideiussor nō habebit*. cap. xxvj. de constit. pec. cap. xxxviij. in fin. Mandati. Hinc etiam intelligimus, quo sensu *de mensa emere* hunc in modum scripserit Apuleius in apologia prima: Marcus autem Cato, nihil oppertus vt alij de se prędicarent, ipse in oratione scriptum reliquit, quum in Hispaniam consul profecisceretur, tres seruos solos ex vrbe duxisse, quoniam ad villam publicam veneraț, parum

parum visum qui vteretur, iussisse duos pueros in foro de mensa emi, eos quinque in Hispaniam duxisse. Eoque spectat illud Ciceronis pro Flacco: Si prætor dedit, à quæstore numerauit: quæstor, à mensa publica: mensa publica, aut ex vectigali, aut ex tributo. Nec aliò referendum est quod sic Tacitus Annalium lib. v. scribit: Euersio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat, donec tulit opem Cæsar, dispositio per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine vsuris per triennium, si debitor populo in duplum prædijs cauisset. Ad numerationem quæ fieri de domo dī cebatur, visus est Plautus respexisse dum ita scriberet in Curculione:

Pessumè metui, ne mihi hodie apud prætorē foluerēt.
Verùm amici compulerunt, reddit argentum domo.

Nec alio sensu, quindecim mutua numerata de domo, in illa cautione accipienda sunt, quam Paulus ait in auditorio Aemilij Papiniani lectam fuisse, cap. xl. in princ. Si cert. petat. Seneca sic etiam scribit Epist. lib. iij. Scis, inquit, cuius arca vtar: expecta me pusillùm, & de domo fiet numeratio.

Emendatur Cap. III. in princip. De minorib.

CAPVT. XVI.

LEx Attilia iubebat mulieribus, pupillisue nō habētibus tutores, dari tutores à prætore, & maiore parte tribunorum plebis,

quos tutores Attilianos appellamus. Sed quia lex Attilia Romæ tantùm locum habebat, lege Iulia & Titia prospectum est, vt in prouincijs quoque similiter à præsidibus earum, darentur tutores, vt auctor est in fragmentis Vlpianus tit. xj. Huc spectat illud Apuleij de asino aureo lib. j. At verò domi tuæ iam defletus & conclamatus es, liberis tuis tutores iuridici prouincialis decreto dati. Ceterùm diuus Claudius, teste Suetonio, sic à prætore & maiore parte tribunorum ad consules ius dandorum tutorum transtulit, vt à consulibus extra ordinem dari tutores pateretur. Tutoris à consulibus dati meminit Plinius epist. lib. ix. sic Quadrato suo scribens: Dicunt contrà Auidius Quietus, Cornutus Tertullus: Cornutus datum se à consulibus tutorem Heluidij filiæ, petentibus matre eius & vitrico, nunc quoque non sustinere deserere officij sui partes. Tandem denique imperante M. Antonino Philosopho, à consulibus non ad vrbanum prætorem, sed ad prætorem quendam tutelarem, omnis creandorum tutorum potestas translata fuit. Is siquidem, si Iulio Capitolino credimus, prætorem tutelarem primus fecit, vt nimirum diligentius de tutoribus tractaretur. Hæc quum ita sint, non satis intelligo qua ratione ad tempora Seueri imperatoris tutelaria consulum decreta traxerit Vlpianus, cap. iij. in pr. D. de minorib. Nulla enim consulibus imperante Seuero, sed omnis prætori

prætori tutelari pupillorum minorumque cura incumbebat: eoque iure annos prope triginta vsus tum erat populus Romanus. Quamobrem si locus mendo non careat, sic videlicet, vt pro *Consulum* legi *proconsulum* debeat, ingenuè fateor nihil esse mihi quo tam manifestum Vlpiani excusare errorem possim. Et hæc quidem emendatio eo videri probabilior potest, quòd similis error in quadam diui Hieronymi ad Nepotianum epistola etiam deprehendatur. Turpe est, inquit Hieronymus, ante fores sacerdotis Christi crucifixi, pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare, iudicemque prouinciæ melius est apud te prandere, quàm in palatio. Quo in loco quum expressè de proconsulibus tractet diuus Hieronymus, quis dubitabit quin pro *Consulum* legi *Proconsulum* omnino debeat? Atque ita quidem mihi videtur.

Notatur Triboniani de minorum curatoribus manifestus error.

CAPVT. XVII.

VETERI iure sic tutela liberabantur pubertate masculi, vt ijs inuitis nulli curatores, nisi redditis caussis, darẽtur. Proinde qui curatorem minori xxv. annis, à præside vel à consulibus postulabat, caussam cur eum dari desideraret, exprimere debebat: eaque cognita, si iusta videretur, dabat magistratus curatorem;

ratorem: sin iniusta, denegabat. Causſas autem iustas Lætoria lege fuisſe expreſſas verisimile est. Siquidem ea lege cautum fuisſe, & abundè prouisum adoleſcentulorum circumſcriptioni, docet M. Cicero lib. iij. offic. Inter eas causſas continebantur, neceſſaria rerum alienatio, lites, et iurgia neceſſaria, laſciuia etiam, hoc est prodigalitas, & dementia, hoc est manifeſtus furor. Hoc ius antiquum sic aboleri voluit diuus Marcus, vt non amplius redditis causſis darentur curatores, ſed tutor non prius tutelam deponeret, quàm curator eſſet à magiſtratu conſtitutus. Et id quidem expreſsè teſtatus est Calliſtratus: Officium, inquit, tutorum curatoribus conſtitutis finem accipit: ideoque omnia negotia, quæ inita ſunt, ad fidem curatorum pertinent: idque diuus Marcus cum filio ſuo Commodo reſcripſit cap. xxxiij. §. 1. de adminiſtrat. & peric. tut. Auctor est etiam Vlpianus, ſacris (hoc est diui Marci & Commodi) conſtitutionibus, eum qui tutelam adminiſtrauit, iuberi pupillum ſuum puberem factum admonere vt ſibi curatores petat. cap. v. §. iij. dicto titulo. Et hoc nimirum illud est, quod de M. Antonino Philoſopho ad hunc modum ſcribit Iulius Capitolinus: De curatoribus verò, quum ante non niſi ex lege Lætoria, vel propter laſciuiam, vel propter dementiam darentur, ita ſtatuit, vt omnes adulti curatores acciperent, non redditis

ditis causſis. De hac cõſtitutione ſentire omnino viſus est idem Vlpianus, cùm ita de minoribus vigintiquinque annis ſcriberet: Et ideo hodie in hanc vſque ætatem adoleſcentes curatorum auxilio reguntur, nec antè rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamuis bene rem ſuam gerentibus, cap. i. de minorib. In hoc enim loco *hodie* additum est ab Vlpiano, reſpectu veteris iuris diui Marci & Commodi reſcriptis abrogati. Non sic igitur hodie, hoc est poſt diui Marci reſcriptum, vt olim, lege nimirum Lætoria, curatores accipiunt adoleſcentes. Olim quidem, redditis probatisque causſis: hodie verò, causſis non redditis: olim, actus magis legitimi quàm ætatis, hodie ætatis magis quàm alicuius actus ratione. cap. iij. §. i. de tutel. Eoque ſpectat quod ita Caius Inſtit. lib. j. ſcribit: Sub curatore ſunt minores ætate, maiores euerſores, inſani. Et hæc quidem quum ita ſint, nunc opinor intelligimus, quod Tribonianus ait, inuitos adoleſcentes curatorem non accepiſſe, præterquam in litem, (§. Item inuiti, Inſtit. de curat.) id ex veteri iure, hoc est ex lege Lætoria, omnino repetitum videri, & ad ius nouum nequaquam pertinere. Notanda igitur est Tribonıani negligentia, qui ius vetus & abrogatum, pro nouo mira fraude, ne dicam inſcitia, nobis obtruſit. Si dixeris hoc iure Iuſtiniani fortaſſis tempore

tempore vsos fuisse Romanos, respondebo id satis non esse liquidum, præsertim quum Iustinianus, quicquid pandectis conclusum est, id omne sibi velit tribui, & ad sui temporis vsum accommodari: in quibus pandectis hæc quoque diui Marci constitutio passim occurrit.

De liberali caussa, & de partu agnoscendo quædam à nemine animaduersa, ad §. Præiudiciales, Instit. de actionib.

CAPVT XVIII.

SIc legitimam caussam liberalis habebat actio, vt ea non tam Romanæ ciuitatis, quàm communi gentium iure possit introducta videri. Cuilibet enim suum licuit liberali caussa manu asserere popularem, vt ciui Romano Romanum ciuem etiam Athenis, & ciui Athenienſi ciuem Athenienſem etiam Romæ. Quò spectant hi Plauti versus in Pœnulo:

Meis consanguineis nolo te iniustè loqui:
Carthagini ego sum gnatus olim, vt scis sciens.
PÆ. O mi popularis salue. ÆG. Et tu ædepol quisquis es.
Et si quid opus est, quæso dic atque imperà.
Popularitatis caussa.

Non enim libertatis iudicium prætor inuenit, sed lex, quæ partim communem, partim propriam status conditionisue distinctionem in Romanam rempub. inuexit. Nam qui hominem liberum liberali caussa manu asserebat, quòd ex lege Quiritium vel iure Romano ageret, legitimam

mam actionem impetrabat: siquidem vt liberos homines alienare prohibitum erat, sic alienatos ciuili iudicio manu asserere permissum. Plaut. in Curculione:

Qui scias mercari furtiuas atq; ingenuas virgines,
Ambula in ius.

Terentius in Adelphis:

——— Quid si ego illam tibi nolo vendere,
Coges me? ÆSC. minimè. S. nanque id metui. ÆSC. neque vendundam censeo
Quæ libera est. nam ego illam liberali asserо caussa manu.

Ex quibus versibus satis intelligi potest, actionem liberalem ciuilem esse. Quum enim dixisset Æschinus liberam mulierem vendi non posse, subiecit: *nam ego illam liberali asserо caussa manu.* Quasi diceret, quia liberam mulierem quæ vendi non potest, alienare vis, ego illam liberali caussa, hoc est directa legis, qua liberos homines alienare prohibitum est, actione asserо manu. Ceterùm si quærebatur, an quis libertus esset an seruus, ideo ex prætoris iurisdictione substantiam capiebat hæc quæstio, quòd ea ex nudo facto constaret. Quum enim quærimus an quis libertus sit, an seruus, in effectu quærimus an quis sit manumissus: & ita de facto. Simili modo quoties de hoc contenditur, an quis sit filius, non de iure, verùm de facto omnis est contentio. Et idcirco hæ quæstiones duæ ex prætoris iurisdictione substantiam capiebant,

piebant, hoc est viua iudicis quem prætor decernebat, voce, sine aliquo iuris auxilio expediebantur. Nam quæ ex nudo constabant facto, nuda solent prætoris iurisdictione definiri. Errant igitur, qui existimant actionem de partu agnoscendo ex s. c. nasci. Id enim nullis rationibus probari potest. tum quòd huius actionis causa ex nudo meroque facto non ex certa aliqua iuris aut s. c. definitione constaret: tum etiam quòd nec s. c. Plancianum, nec illud senatusconsultum quod temporibus diui Hadriani factum est, quicquam aut adderet actionis substantiæ aut detraheret, sed dies constituebat denuntiationi certos. Ergo quum ante huiusmodi senatus constitutionem, nullo certo ordine aut tempore denuntiationi constituto, passim etiam sine denuntiatione maritos pro arbitratu agnoscendi alendique partus gratia feminæ suos prouocarent: voluit senatus intra dies triginta post diuortium connumerandos feminas suis maritis denuntiare, si se prægnantes existiment, vt possent mariti custodes mittere. Nam quòd Plancianum senatusconsultum de liberis agnoscendis nihil ad actionis substantiam pertineat, ex Vlpiano nemo est qui non iudicet. Ordinem enim senatusconsultis de liberis agnoscendis exponi Vlpianus auctor est, cap. j. §. ex hoc rescripto, de vent. inspic. Vt sic ante senatusconsulta, quibus ordo erat constitutus, sine ordine de agnoscendo partu veteres con-

res contendisse videri possint. Si leges ad leges trahi solebant, cap. xxvj. de legib. si prætoris edicta ad iuris cõstitutiones trahenda nonnunquam sunt, cap. j. Ex quib. causs. maior. si denique de his quæ primò constituta sunt, certius quid statui poterat, cap. xj. de legib. cur non circa prætoriam de partu agnoscẽdo actionem, certius quid senatus potuisset ordinare? Est igitur de partu agnoscendo iudicium honorarium, non ciuile.

Rectè Vlpianum scripsisse, electrum auri appellatione non contineri.

CAPVT XIX.

VLPIANVS auctor est, electrum auri appellatione non cõtineri, ca. iiij. de legat. j. Id quo sensu accipiendum sit, optimè aduersus Hermogenẽ docet Tertullianus. Nam & testam, inquit, licet ex argilla confectam, iam non argillam vocabo, sed testam: & electrum licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, sed electrum. à cuius habitu quid diuertit, pariter & à vocatu eius recedit appellatione, sicut & conditionis proprietate. Huic addendum est illud eiusdem Tertulliani aduersus Praxeam: Si enim sermo ex transfiguratione & demutatione substantiæ caro factus est, vna iam erat substantia Iesus ex duabus, ex carne & spiritu mixtura quædam, vt electrum ex auro & ar-

& argento, & incipit nec aurum esse, id est spiritus, nec argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur. Electrum igitur quia ab auri & argenti recessit habitu, ideo nec auri potest nec argenti nomine comprehendi. Et hoc nimirum illud est, quod dixit Vlpianus, rerum vocabula immutabilia esse, d. cap. iiij. Quod enim ex auro & argento fœderatum est, proprium habet vocabulum, & electrum appellatur, non aurum, non argentum. Eoque sensu electreos nummos appellasse videri potest Lampridius in Alexandro: Alexandri habitu, inquit, nummos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. Est & aliud genus electri, de quo scribit ad hunc modum diuus Ambrosius Hexameron lib. ij. cap. xv. Quid autem tibi referam, quòd electrum lacryma virgulti sit, & in tantæ materiæ soliditatem lacryma durescat? Nec leuibus id asseritur testimonijs, quando folia & minutissimæ surculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, cùm adhuc gutta esset mollior, recepisse, & solidata tenuisse. Hæc Ambrosius. Et de hoc quidem electri genere accuratissimè disputaturus est doctissimus medicus Gulielmus Pantinus in ijs commentarijs quos in C. Plinii naturalem historiam meditatur.

De

De legitimo luctus tempore: & luctus quomodo diminui soleat, obiter explicatum.

CAPVT XX.

RECTÈ est à Cuiacio animaduersum, ad Theodosij vsque tempora feminis apud Romanos decem menses luctui peragendo fuisse præfinitos. Quamuis enim certissimum sit, luctus legitimum tempus anni spacio circumscriptum fuisse, idque varijs auctorum locis confirmetur: nihilominus tamen annum luctus de mensibus duntaxat decem accipiendum esse, potest eleganter defendi. Romulus in anno constituit menses quinque bis esse suo. Et idcirco indicare volens luctus legitimum tempus anni spacio comprehendi, sic scripsit Fast. lib. i. Ouidius:

Per totidem menses à funere coniugis vxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Cetèrùm Numa Pompilius decẽ mensibus non contentus, anno duos adijciens, luctus legitimum tempus non prorogauit: Testis est enim Plutarchus, longissimum tempus luctus esse decem mensium, etiam Numam voluisse. Ideóque quum a pud Liuium legimus lib. ij. & apud Plinium, aut (si mauis) Cornelium Nepotem in libro de viris illustribus, matronas Brutum vt parentem annum luxisse, sic annum interpretabimur, vt illo annus Romuli, hoc est decem duntaxat menses comprehendantur. Et hanc

E quidem

quidem interpretationem veriſſimam eſſe ex Seneca poteſt euidenter intelligi. Is enim quum lib.viij.epiſt.ſic ſcripſiſſet, *Annum feminis ad lugendum conſtituêre maiores*: hanc eandem ſententiam repetens in libro de conſolatione ſic ſcripſit: *Maiores decem menſium ſpacium lugẽtibus viros dederunt*. Haud dubiè per annum in epiſtolis decem menſes; & in libro de conſolatione, per decem menſes, annum intelligens: alioquin ſibi ipſi cõtrarius eſt. Et ita quidem ſatis eſſe perſpicuum arbitror, luctus olim legitimum tempus decem mẽſium fuiſſe. eóque annos quingẽtos, & quod excurrit, videlicet ad Cannẽſem vſque cladem, vſus eſſe Romanus populus cõſtantiſſimè videtur. Qua de re ſic ſcribit Feſtus de verb.ſignif.lib.vij. Græca ſacra, feſta Cereris ex Græcia tranſlata, quæ ob inuẽtionem Proſerpinæ matronæ colebant: quæ ſacra quum non eſſent matronæ quæ facerent, propter Cannenſem cladem, & frequentiam lugentium, inſtitutum eſt ne amplius triginta diebus lugeretur. Idipſum confirmat libro j. Valerius Maximus: Quanto, inquit, noſtræ ciuitatis ſenatus venerabilior in deos, qui poſt Cannenſem cladem decreuit, ne matronæ vltra trigeſimum diem luctus ſuos extenderent, vti ab his ſacra Cereris peragi poſſent? Et ita, quamuis decem menſibus lugeri moris eſſet, nihilominus tamen ob Cannenſem cladem lugentiúmque multitudinem, ne amplius xxx. diebus lugeretur,

tur, eſt inſtitutum. Quod quiden inſtitutum perpetuum non fuiſſe, & ſic eſſe accipiendum, vt diutius triginta diebus habitu triſtiore lugubribúſque non vterentur matronæ, annum interim à ſecundis nuptijs, propter ſanguinis turbationem, perpetuò abſtinentes, indicat his verbis idem Valerius: *Itaque matres ac filiæ, coniugéſque, & ſorores nuper interfectorum, abſterſis lacrymis, depoſitíſque doloris inſignibus, candidam induere veſtem, & aris thura dare coactæ ſunt*. Ait etiam Liuius libr.xxij. poſt Cannenſem cladem ſenatuſconſulto diebus triginta luctum finitum: nõ autem tempus legitimum luctus, in triginta dies mutatum fuiſſe. Nec quidem dubito quin aliud ſit in prudentum reſponſis reſcriptíſque principum lugere, aliud elugere. Lugetur enim maritus lugubribus, vt vtar Labeonis verbo: elugetur anni ſpacio, hoc eſt decem menſibus etiam ſine lugubribus, propter ſanguinis turbationem. cap.viij. & xj. de his qui not. inf. cap.ij. C. de ſecund. nupt. Elugendi ratio ad nuptias ſolas pertinet, ob ſanguinis, inquam, turbationem; Ideóque ſi intra legitimum tempus mulier partum ediderit, quamuis maritum luxerit, elugere tamen non compellitur: hoc eſt, habitu quidem lugubri tandiu vti cogitur, quandiu partus editus non eſt, non autem decem menſibus à nuptijs abſtinere. ſiquidem nõ edito partu nubere poteſt. d. ca.xj. Lugentur parẽtes, ſed non elugentur: nõ enim liberorum & parẽtum

luctus, impedimento nuptijs sunt, d. cap. xj. Mariti verò lugentur, & elugentur: lugentur interdum, & non elugentur: elugentur etiam nonnunquam, & non lugentur. Lugentur quidem, & elugentur, quum luctus non minuitur: lugentur & non elugentur, quum partus intra luctus legitimum tempus editus est: tunc enim minui luctus solet: elugentur denique, & non lugentur, mariti perduellionis damnati, hostes, suspendiosi, quique manus sibi intulerunt mala conscienria. d. cap. xi. Elugendi verbo non autem lugendi vtitur prætor in edicto perpetuo, de his qui notantur infamia, in Florentinis pandectis, de muliere tractans, quæ intra id tempus, quo virum elugere moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocatur. cap. i. de his qui not. inf. Lugendi verbo non elugendi vtitur Iulius Paulus Sentent. lib. ij. titu. xxi. Qui luget, inquit, abstinere debet à conuiuijs, ornamentis, & alba veste. Immò aliud esse elugere, aliud lugere, docet euidentissimè imperator Gordianus, quum ait, luctus diminutionem ad habitum duntaxat tristiorem, ceteraq; id genus insignia, non autem ad tempus illud quo maritos elugeri moris est, pertinere. cap. xv. C. Ex quib. caus. infa. irrog. Igitur quum luctus diminuitur, lugendi, hoc est à conuiuijs, ornamentis, & alba veste abstinendi, non autem elugendi, hoc est viduitatis legitimo tempori derogatur. Differentiam horum verborum,

rum, præter iurisconsultos & imperatores, obseruant nulli. Et idcirco rectius interpretibus alijs, nos qui iuri operam damus, intelligimus quid sibi voluerit Apuleius, de asino lib. viij. quum ita scriberet: Boni ergo & optimi consules, si luctu legitimo miserrimæ feminæ necessarium concesseris tempus, quoad residuis mensibus spacium reliquum compleatur anni. Sensus enim est, quia per anni spacium elugeri maritum leges iubent, ideo à nuptiarum mearum solicitatione quiesces donec mensibus residuis reliquum anni spacium compleatur. Ante tempora Theodosij Apuleium vixisse negat doctissimus iurisconsultus. Cedo, quamobrem? Opinor quia de luctus anno loquitur Apuleius. Meminit idem Apuleius Lolliani Auiti in Apologia prima: Quum, inquit, Lolliano Auito præsente publicè dissererem. Et in Apologia secunda: Petit postea suppliciter, vti se Lolliano Auito clarissimo viro purgem. Auctor est etiam Vlpianus, Lolliano Auito diuos fratres rescripsisse: Spurios, inquit, posse in ordinem allegi, nulla dubitatio est: sed si habeat competitorem legitimè quæsitum, præferri eum oportere, diui Fratres Lolliano Auito Bithyniæ præsidi rescripserunt. capite. iij. §. i. de decurionib. Hunc Lollianum etiam sub Heluio Pertinace floruisse, testis est Capitolinus. Quum enim dixisset, Pertinacem post Sulpitium Apollinarem grammaticen professum esse, subiecit: Sed

quum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petijt. Igitur Lollianum Auitum sub diuis fratribus præsidem fuisse Bithyniæ, & Pertinacis etiam temporibus vixisse, manifestum est. Et idcirco rectè consequi omnino videtur, ijsdem fere temporibus etiam Apuleium vixisse. Si tunc vixerit Apuleius, quid igitur obstat, quominus luctus illud legitimum tempus cuius Apuleius meminit, ad annum etiam Romuli, hoc est ad decem menses referamus? Eoque respexisse Theodosium omnino est verisimile, quum ita scriberet: Si qua ex feminis perdito marito, intra anni spaciũ alteri festinauerit nubere, (paruum enim tempus post decem menses seruandum adijcimus, tametsi idipsum exiguum putemus) probrosis inusta notis, honestioris nobilisq; personæ decore & iure priuetur. cap. ij. C. de sec. nupt. Et sic quidẽ tempus legitimum luctus, à Romulo decem mensib. cõprehensum, & Numę legibus confirmatũ, vsq; ad imperatoris Theodosij tempora obseruatũ fuisse videri potest. Et quum antea perpetuo prętoris edicto feminæ ante annũ nubentes, infamia duntaxat notarentur: antiquo iuri videtur etiam Theodosius adiecisse, vt omnia quę de priorũ maritorũ bonis, vel iure sponsaliũ, vel iudicijs defunctorũ, huiusmodi mulieres consecutę fuerant, amitterent. d. cap. ij. Et hæc de luctus legitimo tempore.

pore. Nunc videndũ est, luctus quomodo dimi nui soleat. Minuebatur populo luctus, inquit Festus, ædis dedicatione, quum à censoribus lustrũ condebatur, quum votũ publicè susceptum soluebatur. Ædis dedicatione ideo minui populo luctum arbitror consueuisse, quòd Romani diem dedicationis epulo celebrarent. Et quia eos qui lugebant, à conuiuijs abstinuisse, testari Iulium Paulum liquidò demonstratum est, idcirco mirum videri non debet, ædis dedicatione luctum populo minutũ fuisse. Quod autem de voto Festus scribit, idipsum Ælius Spartianus cõfirmat, qui sic de Ælio Vero in Hadriani vita scribit: Quare ab Hadriano votorum causa lugeri est vetitus. Et paulo pòst, in vita Ælij Veri: Iussũsq; ab Hadriano, quia vota interueniebant, non lugeri. Ceterùm priuatis, auctore eodem Festo, minuitur luctus, quum liberi nati sunt, quum honos in familiam venit, quum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domũ redit, quum desponsatio est, quum propiore quis cognatione quàm is qui lugetur natus est, quum in casto Cereris est, omnique gratulatione. De casto Cereris mihi nõ liquet, nisi fortè per castum Cereris, nimiam castitatẽ illã intellexerimus, qua viduas Africanę Cereri olim adstitisse scribit ad vxorem lib. 1. hunc in modũ Tertul. Ceterùm viduas Africanę Cereri adsistere scimus, durissima quidem obliuione matrimonii adlectas. Nã manentibus in ęternũ

viris, non modò thoro decedunt, sed & alias eis vtiq; ridentibus, loco suo insinuant, adempto omni contactu, vsque ad oscula filiorum. Et sic quidem castum Cereris ea forma veteres dixisse videri possunt, qua castum pro re casta, sacrum pro re sacra, diuinum pro re diuina, & sic deinceps, sumitur. Idque mirum in modum eiusdem Festi, Liuij, & Valerij confirmatur testimonijs, qui Cereris festa lugentes matronas colere non potuisse, expresse testati sunt. Igitur si matrona in casto Cereris est, & ei lugendum esse contingat, ne omnino per luctum stet, quo minus statò solennique die Cereri sacra fiant, luctus ordinis amplissimi decreto minuitur. Hæc quum ita sint, satis opinor nunc intelligimus, quónam referendum sit, quod de luctu minuendo sic scripsit imperator Gordianus: Decreto amplissimi ordinis, luctu feminarum diminuto, tristior habitus, ceteraque id genus insignia remittuntur. cap. xv. C. Ex quib. causs. infa. irrog. Porro, quod in libro singulari ad leges xij. tab. fore promisimus, vt in hoc primo Variorum libro explicarentur dies sessionum, id nunc consilio propter amplitudinem argumenti mutato nõ prestabitur. Scripsimus enim

Protribunalium librum singularem, in quo huiuscemodi argumentum multò commodius, & expeditius tractatum est.

IAC.

IAC. RÆVARDI I. C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBER SECVNDVS.

De pactis, & explicatur L. pacta conuenta, D. De contrah. empt.

CAPVT PRIMVM.

CONVENTIO IVRISCONSVLTIS generis nomen est, non speciei: pactum legumlatoribus, grammaticis, & oratoribus generis nomen est, non speciei: prętoribus verò & iurisconsultis, speciei, non generis. Contractus grammaticis & oratoribus pactum: pactum, ijsdem contractus est: prætori verò & iurisconsultis, in facto pactum, in iure versari contractus dicitur. Auctor ad Herennium lib. ij. pactum pro omni conuentione accepisse visus est: Ex pacto, inquit, ius venit, si quid inter se pepigerunt, si quid inter aliquos conuenit. Rursus, pactum illud quod inter aliquos conuenit, sic eodem loco diuidit, vt aliud legitimum esse, aliud sine lege obseruari contendat: per pactum haud dubiè conuentionem intelligens. Quo modo ipsi quoque decemuiri per pactum legitimam conuentionem

visi sunt intellexisse, dum ita scriberent: SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT TALIO ESTO. Quasi dicant, ni aliquo modo, is qui alterius membrum rupit, cum eo cuius membrum rupit, pactus fuerit, conuenerit, aut fuerit stipulatus. Non enim tam precisè pactum requirunt decemuiri, vt aliam conuentionem legitimam nullam admittant, quemadmodum prætores & iurisconsulti faciunt, quum de pactis disserunt. Et hoc modo legitima conuentio etiam à Paulo pactum appellatur, cap. vi. de pact. Non quòd in ea persuasione sit Paulus, vt existimet, pactum illud decemuirale, aliquid cum pacto prætorio habere commune: non magis hercle quàm contractus, quàm stipulatio. Verùm quia in suis legibus pacti vocabulo sic vtuntur nomothetæ, vt illud pro conuentione omni legitima videantur accipere, idcirco contendit idem Paulus, ex pacto interdum actionem dari, veluti quum illud lege vel senatusconsulto confirmatur. Tunc enim amplius nudum pactum, hoc est nudus consensus, nudum placitum dici non potest, non magis profectò quàm stipulatio, quàm contractus. Quid enim aliud est stipulatio, quàm conuentio legitima? quid item aliud contractus? quid denique pactum lege confirmatum? Sed an nudum maneat? Et magis est, vt nudum esse desinat. Quod ego nō probo. Verius siquidem esse didici, omnino pactum non esse, sed aliam conuentionem legitimam.

timam. Iurisconsulti prætoresque pactum ad nudum factum referunt: conuentiones, nō autem pactum, in legitimas, & in eas quæ sine lege obseruantur, diuidunt. cap. v. & vi. de pact. Cicero pactum legitimum dixit: iurisconsulti conuentionem legitimam, non pactum. Igitur qui de pactis disputat, non Ciceronem, Cornificium, nomothetas, oratores, aut grammaticos, sed prætores solos & iurisconsultos de vocis notatione consulat. Sunt enim quædam vocabula, quibus quum generalia verè sint, pro specialibus tamē iurisconsulti & prętores vtūtur. Legare siquidem decemuiris idem est, quod iurisconsultis testari. Legandi enim verbo generis loco vsi sunt perpetuò decemuiri, quod cōtrà pro certa quadam supremæ voluntatis specie, prudētes iuris prætoresq; semper vsurparunt. Emptionem quoque alio sensu decemuiros, alio item prętores & iurisconsultos accepisse, dubium nō est. Illi quidem, per emptionē genere quodam omnem omnino alienationem intellexerunt, cap. xxix de statuli. Hi verò, pro certa quadam nominati cōtractus specie, emptionis vocabulo vsi sunt. Itaq; conuentiones omnes quæ lege aliqua confirmātur, pacta non sunt: sed sunt vel cōtractus, vel alię cōuentiones legitimę. Rursus, cōuentiones omnes, quę ex nudo facto cōstant, cōtractus eadem consideratione non sunt, sed sunt pacta. Et hoc illud est, quod dixit Vlpianus, in pactis factum, & in stipulationibus ius versari, cap. xxvij.

cap. xxvij. §. pactus, de pact. Ceterùm, quamuis ex nudo pacto nulla detur actio, si tamen ei subsit caussa satis ad agendum valida, vtique non ex pacto, sed ex caussa quæ pacto subest, dabitur actio. Nudũ aũt pactum cui caussa subest, illud rectè appellabitur, quod alicui obligationi principali ex continenti adijcitur. Nam si pactum ex continenti additũ est venditioni, pacto subest venditio, non contràvenditioni pactum: hoc est, licet vires & substantiam ex venditionis contractu assumat pactum, sic tamen pacto subiecta est venditio, vt ea sui iuris non sit, sed ex nudo pacto interpretationem & moderamen necessarium accipiat. Si venditio subsit pacto, ergo & caussa uenditionis, quæ caussa ciuilis est: si venditionis caussa, ergo pactum quod venditioni statim in ipso contractus ingressu adijcitur, rectissimè *pactũ cui caussa subest* appellabitur. vt sic per caussam, illius cui pactum ex continenti adijcitur, obligationis substantiam intelligamus. Qui fundum vendidit, inquit Hermogenianus, vt eum certa mercede conductũ ipse habeat, vel si vendat, non alij sed sibi distrahat, vel simile aliquid paciscatur: ad complendum id quod pepigerunt, ex vendito agere poterit. cap. lxxv. de contrah. empt. Ecce caussa quę huic pacto subest, venditionis caussa est. Quia igitur hac specie pacto nudo caussa subest, id quod pacto conuenit, actione ex vendito continetur. Et hoc illud est quod dixit Vlpianus,

pianus, quum nulla subest caussa, propter conuentionem non posse constitui obligationem. Caussam intellige, ad actionem impetrandam efficacem. Non enim dabat actionem prætor, nisi caussa cognita. Proinde si pacto nulla subesset caussa, cuius ergô actionem meritò prętor concederet, quia pacta ex natura sui ad actionem inualida sunt, non mirum est aut absurdum, prætorem nullam ex pacto actionem tribuisse. Igitur nuda pactio actionem non parit. Illud autem otiosum non est, quòd pactũ aliud adijci ex continenti, aliud ex interuallo, Vlpianus adnotatum reliquerit, cap. vij. circa princ. de pact. Illudque quod ex continenti adijcitur, hoc est in ipso ingressu, aut (vt clarius dicam) quod simul cum ipso cõtractu expressum, vna conuentione, vna scriptura, (quæ emptionis dicitur instrumentum, cap. lxxij. de euict.) concluditur, format actionem, hoc est, ipsius principalis obligationis formula comprehenditur: non quidem vt duabus aut actionibus aut formulis opus sit, verùm vna actio, vnaque formula, & pacti & contractus placitum continebit. Veluti, si pacto fundi venditioni ex contineti additum sit, vt fructus eius anni quo fundus venijt, vnà cum fundo cedantur: nec fructus sine fundo, nec fundus sine fructibus peti rectè poterunt: sed pactum cum contractu venditionis sic confunditur, vt vna actione, vnaq; formula, non ex pacto, sed ex empto, & fundum

dum emptor & fructus consequatur. d. ca. lxxv. Et ita quidem, pacta, quæ contractibus ex continenti adijciuntur, inesse contractibus, & actiones formare dicuntur. Quæ autē ex interuallo adijciuntur, vtiq; inesse negantur, & ad actionē proficere, verùm exceptiones pariunt. Aliud autem est, si pactum ex interuallo additum detrahat aliquid cōuentioni legitimæ. tunc enim id quod detractum est, contractu continetur, cap. vij. de pact. cap. lxxij. de contrah. emption. Eiúsque diuersitatis hanc reddi posse rationem existimaui, quòd pacta omnino facti, contractus verò non facti solùm, sed etiam iuris esse intelligantur. dict. §. pactus. Et idcirco, contractibus detrahi ex interuallo bene potest pacto, si modò id quod detrahitur, non iuris sed facti sit, cuiusmodi ea sunt, quæ adminicula contractus dicuntur. dict. cap. lxxij. Verùm quia contractus, vt gentium iuris, sic etiam iuris ciuilis sunt: nihil adijci ijs ex interuallo per pactum, id est per nudum factum, potest. Certè quòd in ijs quę ex iure constant, nihil operetur nudum factum, sine ciuilis aut prætorij iuris subsidio, cap. iij. §. j. cap. xxx. de constituta pecunia. Sed hoc locum habet, inquit Papinianus, in his quæ adminicula sunt contractus: veluti, ne cautio duplæ præstetur. dict. cap. lxxij. Fortè conuenerat vt fundi venditor cautionem duplæ cum satisdatione præstaret: postea perfecta omnino venditione

ditione pactus est venditor, ne eam quæ lege venditionis continetur, duplæ cautionem præstaret. pactum hoc, quia detrahit venditioni, quamuis ex interuallo additum sit, tamen inesse venditioni rectè censetur. Verùm si cùm ea conditione tibi vēditus esset fundus, ne cautio duplæ præstaretur, post emptionem perfectam pactus cum vēditore fueris, vt cum fideiussore cautio duplę prędtetur, creditur hoc non inesse. Sed quo casu, inquit Papinianus, agente emptore non valet pactum, idem vires habebit, iure exceptionis agente venditore. d. cap. lxxij. Quod sic esse intelligendum puto, si emptor ex interuallo pactus, vt cum fideiussore cautio duplæ præstetur, ex empto egerit ad fundi traditionem, vtique vt cautionem cum satisdatione venditor fundum tradens præstet, non rectè desiderabit, quia pactum ex interuallo additum empti iudicio non potest contineri. Verùm si venditor ex vendito ad pretium egerit, pactum illud quod agente emptore non valebat, vires habebit, inquit Papinianus, iure exceptionis agente venditore: hoc est, vtilis erit exceptio, *si non venditor pactus sit cautionem duplæ cum satisdatione præstare*. Si quidem ex continenti huiusmodi pactum venditioni fuisset additum, iure actionis non autem exceptionis eam rectè fuisset emptor persequutus. Tunc enim emptam rem petens, vnà & cautionem præstari rectè postulasset. Et ita quidem,

quidem, ex Papiniani sententia, venditori ad pretium rei venditę agenti, non ante satisfacere emptor, qui ex interuallo de cautione præstanda pactus est, iure tenetur, quàm duplæ cautionem venditor idoneè præstitisset. Et hęc hactenus de adminiculis cõtractus. Ceterùm de contractus substantia, non tanta est obscuritas, vt ea prolixam disputationem requirat. Quamuis itaque pactum, quod ex nudo facto consistit, eam non habeat potestatem, vt ex interuallo aliquid contractui possit adijcere: ipsa tamen contractus substantia, quatenus ex nudo facto constat, rebus integris pacto mutari potest. Hac, ni fallor, coniectura, quòd contractus qui pacto renouatur, non tollatur pacto, vel penitus extinguatur (ea enim paciscentium nõ est intentio, qui pretium augent vel minuunt) sed contractus maneat contractus, caussa interim facti mutata. Cõtractus enim per pactum tolli non potest, nisi quatenus in naturam conuentionis legitimæ pactum transierit. d. §. pactus. Potest tamen pacto renouari, quia eiusmodi renouatio non concernit ipsum ciuile ius, cum quo pactum nihil habet commune, sed nudum factũ. Fundum Tusculanum à te quinquaginta aureis emi, postea rebus integris conuenit inter nos de sexaginta præstandis. ecce, emptio omnino non rescinditur, ius contractus siue auctoritas fundi non imminuitur, sed pretium, quod facti est, mutatur. Ius quidem emptionis contractúsque

tractúsque reliquos confirmauit: sed quo modo? An sic, vt domino certã rei suæ præscripserit ęstimationem? Nequaquam: verùm satis esse putauit, sic eos confirmare, vt qui aliquid emisset, modò pretium verè non dicis gratia interueniret, iure ciuili obligatum sibi venditorem haberet. Et quia ius non distinguit pretium, sed satis ei est interuenire pretium: pretij idcirco distinctionem ex nudo facto constare, & per cõsequens, eam cõtractus substantiam quæ ex pretio constat, quis est quæso tam imperitus vt id non intelligat? Proinde siue augeatur siue minuatur pretium, nihil ad ius, modò pretium interueniat: sed ad factum pertinet. Ideoque per nudum pactum, hoc est per factum nudum, augeri vel minui rectè rebus integris obligationis pretium potest. siquidem factum facto, & ius mutari iure, non est absurdum.

Explicatur L. Qui viam, D. De noui oper. nuntiat.

CAPVT II.

OB SERVITVTEM nouum opus nũtiari posse, traditum est cap. i. §. ius, de remiss. cap. v. in pr. de noui oper. nuntiat. Contrà, eum qui viam habet, si opus nouum fundi domino in via ædificanti nuntiauerit, nihil agere, sed seruitutem vindicare nõ perhiberi, auctor est Iulianus cap. xiij. de noui ope. nuntiat. Et hæc quidem diuersa magis,

quàm pugnantia sunt. Diuersitatis autem hanc puto reddi rationem posse, vt dicamus, in ijs seruitutibus in quibus ædificatio ipso seruitutis iure prohibetur, esse locum nuntiationi: in ijs verò quæ ad ædificationem prohibendam opus habent iudicis officio, locum nuntiationem non habere. Si mihi seruitutem debeas altius non tollendi, prospectui luminibúsque meis nõ officiendi, in hoc mihi obligatus es, vt non ædifices, vt altius parietem tuum non extollas. Proinde si ædificaueris, liberum erit mihi meo iure opus nouum tibi nuntiare, etiam sine prætoris aditione: quia ad illud mihi seruitutis iure es obligatus, vt non ædifices. Aliud autem est, si per fundum tuum habeam viæ, itineris, aut actus seruitutem. Tunc enim idcirco tibi in via ædificãti nõ possum opus nuntiare nouum, quia illo ipso quod mihi debetur, seruitutis iure, tibi ius ædificandi non adimitur: & propterea sine auxilio iudicis nequeo, quominus ædifices, impedire. Vindicanda igitur erit vitæ, itineris, aut actus seruitus: qua vindicatione non prohibebitur statim opus nouum, sed iter per fundum præstari desiderabitur. Tum si illud fortè deberi negauerit aduersarius, suam probabit actor intentionem: eáq; posita & probata, ædificatio ad iter præstandum, pronuntiatione iudicis inhibebitur. capite ix. Si seruit. vind. Et hanc verissimam esse sententiam puto, d. l. Qui viam.

De pœna

De pœna periurij.

CAP. III.

QVI prẽstitum iusiurandum contemnit, peierare dicitur, cap. ij. C. de reb. cred. Qui falsum iurat, etiam peierat. capit. vlt. de crim. stellionat. cap. xiij. in fi. de iureiu. Qui autem peierabat, is deum, principem, censores, pontifices vltores habere, & extra ordinem puniri interdum solet. Religio contempta iurisiurandi, si inconsultò & calore quodam peieratum esset, siue per Deum siue per principem, solum deum vltorem habebat, non principem. d. cap. ij. Ceterùm qui cõsultò per deos arasue deorum peierabant, pontificibus: qui per genium principis, principi: qui alia ratione, censoribus pœnas dabant. Pontifices scribit libro secundo Dionysius de omnibus caussis ad sacra pertinentibus tam inter priuatos homines, quàm inter magistratus sacrificos iudicasse. Et idcirco etiam de periurio, quatenus illud ad sacra pertinebat, quale est quod per Iouem, per dium fidium, aut per aras deorum solemni modo prẽstabatur, cognouisse olim & iudicasse omnino videntur: quemadmodum expresè Plautus de quodam iuramento conceptis verbis per aram Veneris præstito, in hunc modum scribit in Rudente.

Gripe, quod tu istũ talentũ poscis? GR. Iuratũ st mihi
Dare. LA. Libet iurare: tun meo põtifex periurio es?

Qui autem consultò per genium principis peie rabat, is ex constitutionibus principum fustibus interdum castigari solet, d. cap. xiij. grauiúsque multò ijs qui pro Iouem peierauerant, puniebatur, quemadmodũ auctor est in Octauio M. Minutius Felix. Sic eorum, inquit, numen inuocant, ad imagines supplicant, genium hoc est dæmonem eius implorant, & est eis tutius per Iouis genium peierare, quàm regis. Auctor est etiam Annalium lib. j. Tacitus, olim crimini datum fuisse, violatum periurio nomen principis. Rubrio, inquit, crimini dabatur violatum periurio nomen Augusti. Et hæc de ijs, qui per principis genium peierabant. In reliquos autem homines periuros censoria nota animaduertebatur. Siquidem, vt scribit in Officijs Cicero, censores nulla de re diligentius quàm de iureiurando iudicabant. Huc etiam visus est respexisse idem Cicero, quum in suis legibus periurij pœnam diuinã exitium, humanam dedecus statueret. Per dedecus enim quin notam censoriam intellexerit, nequaquam dubium est. Eiúsque rei extat apud A. Gellium elegans exemplum, lib. vj. cap. xviij. Cùm enim decem captiuos Annibalem Romam iureiurando ab eis accepto misisse, permutationemque Romanis non placuisse, scriberet Gellius: ex his captiuis octo ad Annibalem reuersos, & reliquos reuerti recusantes à censoribus notatos quasi periuros fuisse, his verbis adiecit: Hæc

eorum fraudulenta calliditas, tam esse turpis æstimata est, vt contempti vulgò discerptique sint; censoréque eos postea omnium notarum & damnis & ignominijs affecerunt, quoniam quod se facturos dictauerant, non feciissent. Porrò extra ordinẽ puniebatur, si in stellionatus crimen periurium incideret. Tunc enim non tanquam periurus, sed velut stellionatui obnoxius qui peierauerat, sic puniebatur, vt ad tempus exularet. cap. vlt. Stellionat.

Quid per arculam intellexerint Iurisconsulti.

CAPVT IIII.

DIVOS fratres edicto admonuisse Martianus ait, ne sepulturæ traditum, hoc est terra conditum corpus inquietetur: viderique terra conditum, etsi in arcula conditum hoc animo sit, vt non alibi transferatur, ca. xxxix. de relig. & sump. fu. Quo in loco per Arculam intellexit Accursius casam in qua vltra montes magni homines imponuntur sub terra. Ridiculum. Addidit enim Martianus, arculam in commodiorem locum transferri posse. Vnde etiã in Epitaphio An. Crestinæ sic legimus: NE QVIS NOS INQVIETET EX ARCA NOSTRA, NEQVE AB ANTE ALIAM PONAT, AVT COMMVTET. Certè Martiani temporibus eam sepeliendi rationem in vsu fuisse suspicor, cuius Cassiodorus Variarum lib. tertio meminit. Tunc enim non terra

solùm condi solebat, sed etiam in arca lapidea supra terram posita corpus perpetuæ sepulturæ tradendum, plerunque recondebatur. De quibus arcis sic apud Cassiodorum Danieli cuidam scribit rex Theodoricus: Et ideo artis tuæ peritia delectati, quã in excauandis & ornandis marmoribus exerces, præsenti auctoritate concedimus, vt te rationabiliter ordinãte, dispẽsentur arcæ, quæ in Rauennati vrbe ad recondenda funera distrahũtur: quarum beneficio cadauera in supernis humata sunt lugentium non parua consolatio: quoniam animæ tantùm de mundi conuersatione discedunt, corpora verò dulces quondam superstites non relinquunt. Hæc Cassidorus. Eoque sensu accepisse arcam lapideam visus est etiam Caius, cùm ita scriberet: Aduersus eos qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erat conditus, mortuum intulit vtilem, actionem in factum proconsul dat. cap. vij. de relig. & sumpt. fu. Et Seneca Epist. lib. xiij, In ipsa, inquit, Scipionis Africani villa iacens hæc tibi scribo, adoratis manibus eius & arca quam sepulcrum esse tanti viri suspicor. Déque huiusmodi arcis illud Frontini etiam accipiendum videtur, de diuersis mensuris agrorum lib. i: In campis verò statuerunt terminos quadratos cursorios, & interiectis locis arcas & monumẽta, vel alia testimonia. Et hæc de arcis. Plinius etiam scribit Nat. hist. lib. vij. cap. liiij. sepultum intelligi, quoquo modo

modo conditum; humatum verò, humo contectum.

Quomodo qui spondet, ipso iure ex sponsu sit obligatus.

CAPVT V.

QVÆDAM deberi iure ciuili, quæ prætorio iure non debentur, certissimum est. cap. iiij. cap. xxx. de constit. pec. *Si tibi centum mutua dederim, & pactus sim ea non petere*: iure ciuili obligatus es, iure prætorio non es obligatus. Es quidem iure ciuili obligatus, quia pactum eam non habet auctoritatem, vt quæ ciuilia sunt tollere possit. d. cap. iiij. & cap. lj. de pactis. Proinde si mutua centum à te peterem, quamuis tecum pactus essem ea non petere, nihilominus tamen mihi à prætore dabatur actio: non quidem purè, verùm exceptione addita huiusmodi: *Si non pactus sit ne peteret*. Quo sensu nihil interesse dixit Paulus ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. capite cxiij. de reg. iur. Ius ciuile stipulationes introduxit; ius ciuile ex stipulatu actiones etiam dedit. Ideóq; stipulationes omnes (paucis exceptis quæ ciuili etiam iure esse dicuntur inualidæ) ipso iure sic ex interrogatione & respõsione subsistere intelligebãtur, vt ad obligationem, etiamsi iocãdi animo essent interpositę, ipso iure pdessent. Eóq;

pertinet quod ita Plautus in Pseudolo scribit:

Auferetur id præmiũ à me quod promisi per iocum?

Ius inquam ciuile stipulationes instituit. Quo modo? Nimirum vt altero interrogante *Dabis?* & altero respondente, *Dabo,* firma esset, & ipso iure valida conuentio. Idque illud esse omnino videtur, quod sic pro Cecinna Cicero scribit: Si quis quod spopondit, qua in re verbo se vno obligauit, id non facit, maturo iudicio sine vlla religione iudicis condemnatur. Sed cùm variæ inciderent stipulationum species, quæ quòd dubiæ essent & incertæ, certam à prudentibus requirebant interpretationem: & quia sine certa interpretatione incerta lex & infinita seruari commodè non poterat: sic iuri prætorio actiones ex sponsu legitimæ accommodari deinde cœperunt, vt quæ vtiles essent, & ipso iure validæ, sæpius à prætore redderentur inutiles, ipsoque iure ex sponsu obligatus, iure prętorio interdum omni obligatione solutus esset. Idq; ex Varrone de lingua Lat. lib. v. satis probari potest. Qui spoponderat, inquit Varro, despondisse dicebatur, quòd de sponte eius, id est voluntate exierat. Non enim si nolebat dabat quod sponsu erat obligatus. Nam in comœdijs vides dici, *Sponden' tuam gnatam filio vxorem meo?* quòd tum & prætorium ius ad legem, & censorium iudicium ad æquum ęstimabatur. Quasi dicat Varro: qui dixit *Spondeo,* etiam si noluerit, hoc est obligãdi animum nullum habuerit, tamen

men ex spõsu per legem obligatur, hoc est ipso iure: sed prætorio iure ad legem æstimato, hoc est velut viua voce legi mutæ accõmodato, qui per legem obligatus est, is prętorio iure semper obligatus non est. Proinde non spondet ille statim, inquit Varro, qui dixit *Spondeo,* si iocandi caussa dixit, nec agi cũ eo ex sponsu potest. Itaq; quisquis dicit in Tragœdia, *Meministi te despõdere gnatam tuam?* quòd nolens, hoc est sine sponte sua dixit, cum eo agi ex sponsu non potest, inquit Varro. Quia, vt mihi quidem fit verisimile, in huiusmodi actionibus non legem solùm, qua qui spondet, etiamsi animum spondendi nullum haberet, est obligatus: sed prætorium ius ad legem æstimatum, quo nullæ sine iusta & probabili caussa solent actiones dari, inspicimus. Et sic quidem accipienda sunt hæc Varronis verba, *Si nolebat.* quæ verba pessimè ad ipsam quæ despondetur filiam visus est interpres quidam retulisse. Lex ad formulam tantùm & nudam verborum pronuntiationem respicit: prætor non verba, non aliquam formulam duntaxat, sed mentem etiam & intentionem inspicit contrahentium. Et idcirco vel dare solet prætor ex sponsu actiones, vel denegare. Denegabat, si iniusta, si improba, si ipso iure prætori stipulatio videretur inualida. cap. xxvj. & xxvij. de verb. obligat. Hoc est (vt vtar Papiniani verbis) si ab initio non valuit. cap. cxxiij. de verb. obligat. Dabat, vel purè, si non

ciuili solùm, sed etiam iure prætorio stipulatio esset confirmata: vel addita exceptione, cùm ea quæ ipso tantùm iure vtilis erat, & sic ab initio valuit, prætorio iure, hoc est per exceptionem postea inutilis reddebatur. cap.xxv.d.tit.cap.j.§.iij.de dol. mal. & met. except. cap. xvij.§.j. Sol.mat. Quo sensu accipiendum est quod Paulus scripsit, ex stipulatione per iocum vel demonstrandi caussa interposita, nullam nasci obligationem, cap.iii.in fine.de oblig.& act. Paulum enim ita interpretari conuenit, vt nulla efficax & satis ad agendum valida ex huiusmodi stipulatione obligatio nascatur: non quidem ipso iure, sed exceptionis auxilio: non legis, sed prætoris solius beneficio. Hæc qui non considerauerunt, in eo Caium, Pomponium & Iustinianum notare non verentur, quòd illi verbis obligationem ex interrogatione & responsione contrahi expresè tradiderint. cap.j.§.ij.de oblig. & act. cap. j. de verb. obligat. §. i. Instit. eodem tit.

Verus intellectus §. pactus ne peteret, L. Si vnus, D. De pactis.

CAPVT VI.

PACTVM de non petendo ciuilem obligationem non elidit, id est, sic non extinguit, vt possit impedire quominus id quod ciuili debetur obligatione, actione ciuili rectè petatur. Verùm si quum pactus esset creditor

ditor ne peteret, postea conuenisset vt peteret, pactum de non petendo tollitur siue eliditur (perinde enim est) per pactum de petendo, non quidem ipso iure, inquit Paulus, sed per replicationem, ca.xxvii.§.pactus, de pactis. Certum est non esse in ea persuasione Paulum, vt contẽdat pactum per pactum replicatione sem per sic tolli, vt ipso iure nunquam possit elidi. id enim falsissimum est. Nam pactum per pactum tam potest ipso iure tolli, quàm per stipulationẽ ipso iure stipulatio tollitur. Nec id obscurum adeo est, si consideremus id demum ipso iure tolli, quod per se sine aliquo aduentitio auxilio tollitur: quemadmodum ostendimus in libro singulari Ad legem Scriboniam. Vel, vt planius dicam, quod eodem illo ipso iure tollitur, quo ligatum est, id ipso iure tolli dicitur. Itaque cum stipulatio per stipulationem ipso iure tolli dicitur: per ipsum ius, ciuile ius accipitur, quia ex eo iure stipulatio constat. Cùm autem naturalis obligatio ipso iure per pactum tollitur, tunc per ipsum ius non ciuile ius, sed ius naturæ intelligimus. Et idcirco pactum tolli per pactum potest ipso iure, per se, sine prætoris auxilio, si hoc actũ est. Rursus pactum pacto tolli nõ potest ipso iure, si etiã hoc actum est. Tollitur quidẽ pactum pacto ipso iure, si prius pactum tale sit, vt nec ad ciuilem aliquam obligationẽ pertineat, nec ei subsit caussa ad actionẽ impetrãdam satis efficax, sed naturalem

ralem nudam sub se contineat obligationem. Tunc enim per pactum tollitur pactum nõ quidem alicuius aut exceptionis aut replicationis medio; (id enim fieri non potest: nec vt possit fieri, obligationis natura patitur) sed ipso iure, hoc est eodem illo ipso iure, ex quo suam sortitur substantiam. cap. xcv. §. naturalis, de solut. Verùm si pactum alicui legitimæ conuentioni adiectum alio pacto tollẽdum sit, tolli quidem prius pactum per posterius non potest ipso iure, quia hoc actum non est: sed illud potius videtur actum, vt per replicationem elisa pacti prioris exceptione, ipsum quoque prius pactũ non ipso iure, sed replicationis auxilio nullum sit. Veluti, si quum mutua centum tibi dedisset Sulpitius, tecum pactus de ijs nõ petendis, iterum de ijsdem petendis paciscatur, quamuis pactum pacto tolli ipso iure possit, hoc tamen casu tolli ipso iure, hoc est per se, siue, vt clarius dicam, tolli iure pacti pacto pactum non potest, certè quòd prius pactum, quia facti est, tollere contractum mutui non potuerit. Ergo si centum quæ mutua dedit, petierit Sulpitius creditor, & debitor contendat pactum esse creditorem ne peteret, quia pacto mutui obligatio elisa non est, ciuilis creditori ex caussa mutui dabitur actio; reo verò defensionis loco, quia pacta iusta prætor seruat, pacti conuenti exceptio nõ denegabitur: qua posita & probata, ciuilis extinguetur obligatio. Quòd si ponentem reum pacti

pacti de non petendo exceptionem, pacti de petendo excluserit actor replicatione, quia firma manet, & ipso iure semper valida, mutui ciuilis obligatio: de eo quæri solet, cur pactum istud de non petendo, tollatur per pactum de petendo, non tam ipso iure quàm per replicationem. Respondeo, quia sic actum videtur. Sic nimirum videtur actum, vt salua quæ pacto tolli nõ potest principali obligatione, ni pacti de non petendo exceptione agentem repellat actorem reus, statim reus condemnetur: & nisi pacti de non petendo quam reus obtinuit exceptio replicatione pacti de petendo, per actorem rursus excludatur, absoluẽdus omnino reus videatur. Igitur contractus mutui in caussa est, quo minus ipso iure hoc casu pactum tollatur per pactum. Et hoc quidem significare videntur hæc verba *Si hoc actum est*. Nõ enim negat Paulus, pactum per pactum ipso iure tolli nõ posse, sed contendit tolli non posse si hoc actum est. Nam si pacto pactum ipso iure apud Paulum elideretur, cõsequens esset, ex posteriore pacto ciuilem nasci obligationem, & priore pacto mutui ciuilem obligationem elidi. Sed neutrum fieri potuit. Non est igitur mirum hoc actum esse non videri, vt pactum ipso iure per pactum elidi apud Paulum potuerit. Sanè iurisconsulti quid actum sit sedulò inspiciunt in omni conuentione. cap. ij. §. j. de hered. vel act. vend. l. iiij. de fide instru. Aliud autem est in stipula-

tione.

tione. Quia enim ſtipulatio ciuilis eſt, non refert an ad contractum ſiue ad ciuilem aliquam obligationem ea adijciatur, an verò per ſe ſtet. Semper enim ex ſtipulatu actio competit. Ideóque ipſo iure ſemper poteſt per ſtipulationem ſtipulatio tolli. Expoſui paragraphum longè difficillimum nouo & ſingulari quodam intellectu.

Auerſio quid à ſectione differat.

CAPVT VII.

OBTINVIT auerſione in pandectis id dici venire, quod pretio inſemel inſimulque nuncupato non in res ſingulas cõſtituto venit, Antonio Auguſtino, Briſſonio, & alijs eruditis viris auctoribus, cap. xxxv. §. in his, cum §. ſeq. de cont. empt. cap. iiij. §. j. de peric. & com. rei vend. cap. lxij. in fine, de contrah. empt. Goueano non aſſentior, exiſtimanti id quod negligenter fit, neque conſideratè ſatis, dici auerſione fieri. Quis enim credat auerſione opus locare, vinum auerſione vendere, locare inſulam auerſione, idem eſſe quod negligenter locare, vendere? Auerſioni contraria eſt ſectio. Solet enim cum auctio fit, res omnis auerſione aut ſectione vendi. Auerſione quidem vna pertica, ſectione verò diſtinctè gradatimque. Nam eò reſpexiſſe omnino viſus eſt Plinius lib. viij. Epiſt. hunc in modum Caluiſio ſuo ſcribens:

Ex ipſis etiam, quos non vna, vt dicitur, pertica, ſed diſtinctè gradatimque tractaui, quanto quis melior & probior, tanto mihi obligatior abit. Loquitur Plinius de ſuis vindemijs, quas ait certatim negotiatoribus ementibus ſe vendidiſſe; & ex ijs nonnullos vna pertica, nonnullos diſtinctè gradatimque tractaſſe: Hoc eſt, vt mihi videtur, vindemias partim quidem auerſione, partim verò ſectione ſe vendidiſſe. Sectores damnati atque proſcripti bona emebant auerſione, quæ rurſus ſectione diſtrahebant. Auctor eſt enim Aſconius, ſectores dictos eſſe qui ſpem lucri ſui ſecuti bona condemnatorum ſemel auctionabantur, ac poſtea ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant. Nec quidem hi duntaxat, ſed omnes etiam qui ſectione res aliquas vendebant, ſectores dicebantur. Nam in quodam Latini Pacati Drepani panegyrico, qui olim imperatori Theodoſio fuit dictus, vendi eo ſenſu ſub ſectore infantes dicuntur, quo ſcripſit Eutropius inſtrumenta regij cultus ſectione diſtrahi. Verba Pacati ſunt hæc: Vidimus redactas in numerum dignitates, & exutos trabeis conſulares, & ſenes fortunarum ſuperſtites, & infantium ſub ipſo ſectore ludentium flendam ſecuritatem. Et paulo pòſt: Vt poſſemus effugere carnificem, optabamus ſubire ſectorem. Eoque pertinet quod ſic libro octauo Eutropius de M. Antonino Philoſopho ſcribit:

scribit: Cùm largitiones nullas haberet, facta in foro diui Traiani sectione, instrumenta regij cultus distraxit. Bona quæ ad ærarium deferebantur, edictis publicari solent, hoc est publicè venalia proscribi aut proclamari: & tandem publicata interdũ auersione, interdum sectione hasta posita distrahebantur. Eoque arbitror Ciceronem respexisse in Philippica secunda. Cùm enim hasta posita pro æde Iouis Statoris bona Cn. Pompeij Magni subiecta esse præconis voci demonstrasset acerbissimè Cicero, hæc verba subiecit: Expectantibus omnibus quisnam esset tam impius, tam demens, tam dijs hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere; inuentus est nemo, pręter Antonium: pręsertim cùm tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. Huic etiam consentaneum est quod sic Tacitus Annalium lib. xiij. scribit: Eius accusationis auctor extitit Pætus quidam, exercẽdis apud ærarium sectionibus famosus, & tum vanitatis manifestus. Hinc etiam intelligimus quid illud sit quod idem Tacitus sic lib. xvij. scribit: Pridie Idus Mart. commẽdata patribus republica, reliquias Neronianarum sectionũ, nondum in fiscum cõuersas, reuocatis ab exilio cõcessit. Et erat quidem tanta apud Romanos huiusmodi sectionis auctoritas, vt per eam legitimum dominium statim acquireretur. Testatur enim M. Varro de re rustica libro secundo, dominium sex fere res

res perficere, nimirum hereditatis additionem, mancipationem, in iure cessionem, vsucapionem, è præda sub corona distractionem, & denique sectionem.

Quid sit Testes de domo producere.

CAPVT VIII.

PAVLVS ait: Testes eos quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit, cap. xxiiij. de testibus. Quem locum interpretans Duarenus, Domesticus, inquit, testis non is tantùm dicitur, qui in eadem domo habitat, sed et qui eiusdem familiæ, gentis, agnationis est. Non rectè. Eorum enim qui de familia producebantur testimonia non vsquequaque olim fuisse neglecta, docet actione tertia in C. Verrem Cicero, vbi Verrem Malleoli tutorem sic alloquitur: Cur sodalis (erat hic Malleoli pater) vxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui contra te testimonium dicere; cur prudentissimas lectissimásque feminas in tantum virorum conuentum insolitas inuitásque prodire cogis? Huic etiam adiungi potest quod sic de Iulio Cæsare Suetonius scribit: In P. Clodium Pompeiæ vxoris suæ adulterum, atque eadem de caussa pollutarum cęremoniarum reum, testis citatus negauit se quicquam comperisse, quamuis & mater Aurelia & soror Iulia apud eosdem iudices omnia ex fide retulissent. Ideoque verisimilius est eos duntaxat testes de domo produ-

ctos Paulo dici, qui in accusatoris sunt potestate. Sic testimonium domesticum Græci interpretantur. Et idcirco non possum non probare interpretis eximij Theodori Balsamonis sententiam, qui Canonem Synodi Carthaginiensis cxxxij. interpretans, quo testes quos de domo producit accusator, non esse audiendos etiam traditum est, domesticos testes accusatoris ait appellari omnes qui cum eo habitant, & quibus ipse potest imperare. Ea nimirum ratione, qua furta quæ serui faciunt dominis, liberti patronis, & mercenarij ijs apud quos degunt, domestica dicuntur. cap. xi. §. i. de pœnis. Ad domesticum testimonium spectare videtur quod sic Apuleius scribit in Apologia prima: Cupio enim produci eos pueros, quos spe libertatis audio confirmatos ad mentiendum. Huiusmodi enim pueros de domo productos rectè dici ex Vlpiano probari euidenter potest. cap. i. §. j. & cap. x. §. ij. de quæst.

Marcelli locus apud Vlpianum de curatoribus pupilli, prodigi, vel furiosi, explicatur nouo sensu.

CAPVT IX.

PROMITTENDO obligari posse furiosum, & fideiussorem pro eo interuenire, negauit Vlpianus cap. vi. de verb. oblig. Quia, inquit Caius, non solùm ipsa stipulatio nulla intercessit, verùm ne negotium quidem vllum

vllum gestũ intelligitur. cap. lxx. §. i. de fideiuss. Sed videamus ne non sibi ipsi contrarius sit Vlpianus, qui cum Marcello huiusmodi fideiussores obligari expresè visus est annotasse. Marcellus scribit, inquit Vlpianus, si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato, prodigóue vel furioso fideiusserit, magis esse vt ei non subueniatur: quoniam his mandati actio non competit. ca. xxv. de fideiussorib. Corruptum esse hoc Marcelli respõsum videtur, & pro *Non subueniatur*, legendum *Ideo subueniatur*, errorémque ex notis creatum suspicio est. Sic enim scribebant veteres *Iõ*, pro *Ideo*, quod facilè in particulam *Nõ* transmutari potuit. Sensus igitur est: pupilli, prodigi, & furiosi fideiussoribus ideo subueniri, quoniam mandati actio pupillo, prodigo, vel furioso non competat aduersus fideiussores; hoc est, quia principalis obligatio non subsistit, ac ne negotium quidem vllum gestum intelligitur. d. §. j. Quasi in effectu dixerit Marcellus, accessorium naturam sequi sui conuenit principalis. Principalis obligatio directa mandati actio est. Quia igitur mandati actio illis non competit; hoc est, quia oligatio principalis ipso iure inualida est; ideo subuenitur fideiussoribus, hoc est, ideo nec accessoria conualescit. Subuenitur inquam fideiussoribus, aduersus pupilli, prodigi, vel furiosi creditores. Sanè *non* particulam pro *ideo*, interdum librarijs obrepsisse obseruatũ est ex ca.

xliiij.§. si quis sponte, de furtis. In eo enim §. vulgares quidem libri, *Et ideo*, Florentini verò *Et non*, scriptum expresè continent. Et hęc quidem emendatio, quæ viris aliquot eruditis mihiq; amicissimis mirum in modum placet, mihi sic nō probatur quin putem curiosa quadam inspectione eleganter lectionem antiquam defendi posse. Quandoquidem enim Caius nullam esse stipulationem, ac ne negotium quidem vllum tunc gestum intelligi contendat quum pro furioso interuenit fideiussor, d. §. i: vtique hoc videtur intendere, ipso iure totum negotiū nullius prorsus momenti esse. Si nullius momēti sit, ergo nec vlla ex eo nasci potest obligatio. Si nulla nascatur obligatio, ergo & actio & exceptio nulla. Et quia tunc demum subuentioni locus est, quum id quod ipso iure vtile & validum est, iure prætorio inutile & inualidum aut exceptionis aut in integrum restitutionis beneficio redditur: profectò mirum non est fideiussoribus huiusmodi non subueniri. Ipso enim iure obligati non sunt. Eáque res efficit vt nulla prorsus subuentione opus habeant: siquidem is, qui obligatus ipso iure non est, nullo prorsus exceptionis, nullo in integrum restitutionis opus habet beneficio. ca. cxiij. de reg. iuris. Et hoc nimirum illud est quod dixit Marcellus, huiusmodi fideiussoribus non subueniri, quoniam mandati actio pupillo, prodigo, vel furioso non competat. Sensus enim est, ideo fideiusso-

deiussoribus exceptionis medio non subueniri, quoniā ipso iure nulla prorsus ex huiusmodi negotio nata sit obligatio. Igitur fideiussoribus non subuenitur, quia nulla opus habent subuētione, vtpote ipso iure non obligati.

Indicatur de tutoribus feminarū Triboniani error.

CAPVT X.

VIDETVR Tribonianus in ea fuisse persuasione, vt existimauerit finita pupillari ætate, tam puellas quàm masculos liberari omnimodo tutela consueuisse, & ad annum vsque vigesimum quintum curatores accepisse. §. 1. Inst. de curat. Quæ persuasio falsa est. Erant enim mulieres in perpetua tutela, quemadmodum pro Muræna testatus est Cicero. Et in eius Top. Boëtius, Mulieres, inquit, antiquo iure tutela perpetua continebāt: recedebāt verò à tutoris potestate, quæ in manum viri conuenerant. Igitur ætate pupillari finita, liberari tutela sōlent masculi, & curatores accipere: Feminę verò tandiu si non legitimæ, saltem cessitiæ tutelæ subserant, donec aut sese capite diminuissent, aut virgines essent Vestales captæ. Hoc iure etiam Pauli & Vlpiani temporibus vsum fuisse populum Romanum, satis ex Vlpiani fragmentis constat. In ijs enim titulo decimo, feminis tam puberibus quàm impuberibus, propter sexus fragilitatem forensiúmque rerum ignorantiam, tutores solere dari expresè tra-

ditum est. additúrque talis inter pupillarem & muliebrem tutelam differentia: Pupillorum pupillarumque tutores & negotia gerunt, & auctoritatem interponunt: mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt. Idque mirum in modum Apuleij (quem sub diuis fratribus vixisse probauimus superiore libro) auctoritate confirmatur. Sic enim in Apologia secunda scribit: Adest etiam tutor auctor mulieris, vir grauissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus Cassius Longinus. Quære Maxime cuius emptionis auctor fuerit, quantulo pretio mulier locuples agellum suum præstinarit. Testimonium Cassij Longini tutoris & Coruini Celeris est'ne ita vt dixi? vspiam in hac emptione nomen meum scriptum est? Et hæc quidem cùm ita sint, nunc opinor intelligimus, quidnam sentiendum sit de hoc Pauli responso, quod in pandectis quibusdam manuscriptis rectius quàm in Florentinis ad hunc modum expressum est: *Tutor pupillam vel curator adultam, vxorem ducere non potest.* capite xxxvi. de ritu nuptiarũ. Nimirum verbũ hoc *Curator*, non esse Pauli verbum, sed Triboniani suppositicium, falsò haud dubiè persuasi, non fuisse in perpetua tutela puellas viripotentes, sed curatores accepisse. Est igitur sic legendum: *Tutor pupillam vel adultam, vxorem ducere non potest*, Hoc est, pupillam aut virginem viro maturam quam habet in potestate legitimus, cessicus, aut prætorius tutor, non potest vxorem ducere. Id enim senatusconsulto non de adulta solùm, sed nominatim quoque de pupilla fuisse cautum, cùm ex eodem Paulo, capite lix. de ritu nuptiar. tum etiam ex testamento quodam Sempronij Tucidani peruetusto euidenter constat, in quo sic legitur: CAIVS TVCIDANVS QVOD PVPILLAM CVIVS IVSSV MEO CVRAM GESSIT, CONTRA DECRETVM AMPLISSIMI ORDINIS VXOREM DVXIT, EXHERES ESTO. Et hæc quidem emendatio nostra duorum locorum collatione euidentissimè confirmatur. Sic enim scripsisse Terentium Clementem accepimus: Siue generalis curator, siue dotis dandæ constitutus sit, & amplius doti promissum est quàm facultates mulieris valent, ipso iure promissio non valet. capite lxi. de iure dot. In fragmentis ad hunc modum scribit tit. x. Vlpianus: Ex lege Iulia de maritandis ordinibus tutor datur à prætore vrbis mulieri virginiue, quã ex hac ipsa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam, promittendámue, si legitimum tutorem pupilla non habeat. Ecce Terentius Clemens curatorem, Vlpianus non curatorem, sed tutorem ait mulieri dotis dandæ caussa constitui. Quis hîc non dixerit Terentium hunc omnino contrarium esse Vlpiano, si Triboniani culpam

non agnouerimus? Dubium enim mihi non videtur, quin sic Clemens scripserit: *Siue generalis tutor, siue dotis dandæ, dicendæ, promittendæue causſa constitutus sit.* Quid Cicero? An non ita etiam pro L. Flacco differit? Doti Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quæcunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est. Et idcirco generaliter posse definiri puto, vbicunque in pandectis tribui mulieribus curatores videmus, ijs in locis omnibus, pro *Curatores*, esse *Tutores*, ex prudentium intētione & vera sententia reponendum. cap. xxxvij. De ritu nupt. cap. lx. & lxj. de iure dot. cap. vij. de tut. & curat. dat. ab his. cap. vij. Ad L. Iul. de adult. Fortassis antiquum ius ad sui temporis rationem accommodans Tribonianus, hęc responsa sic deformauit. Id si verum est, cur igitur tres illas feminarum tutelas voluntaria quadam obliuione nō deleuit, de quibus in eo senatusconsulto tractari docet Paulus, quo tutores pupillas vel adultas vxores ducere prohibentur? cap. lx. de ritu nupt. Nam si tres huiusmodi tutelas admiserit Tribonianus, non pupillas solùm sed adultas etiam sub tutela fuisse vt fateatur necessum est. Est enim feminarum tutela tripartita. Alia siquidem pupillaris est, alia cessitia, alia denique prætoria: quemadmodum ex fragmentis Vlpiani quiuis potest intelligere. Nec est quòd quis obijciat, tutoris

tutoris officium post pupillæ pubertatem finiri, idque etiam Paulum scripsisse in d. cap. lx. §. iij. Id enim sic non accipere conuenit, vt pubertate finita desinant mulieres in tutela esse. Finitur enim pupillaris tutela pubertate: incipitque tutela muliebris aut cessione, aut certè legitimi tutoris cōtinuatione ex lege Claudia. Illud etiam admonendi sumus, senatusconsultum de prohibitis inter tutores & pupillas adultásque nuptijs, orationem diui Antonini & Commodi subsecutum esse. Idque ex eo libro singulari manifestum est, quem Paulus ad orationem Antonini & Commodi scripsit. In eo enim libro plenissimè senatusconsultum istud anonymum interpretatus est idem Paulus, id quod ex epigraphe d. cap. lx. omnino colligitur. Denique si quæsieris tutor ille qualis fuerit, quem Paulus honorarium appellat, honorísque causſa datum scribit, in cap. lxj. de ritu nupt. illud habeto, sic interdum datos fuisse plures tutores vt eorum vnus administraret, & reliqui potius honoris, hoc est honestatis gratia dati viderentur, quàm administrationis. ca. iij. §. ij. in fin. iud. solui. Ita enim honorarium tutorem expressè interpretatus est Vlpianus, in cap. iij. §. i. de admin. & peric. tut. cap. xiiij. §. i. de solut. Et hæc de tutoribus feminarum.

Conciliatio vera cap. xxxix. De statulib. cum cap. xiiij. De quæst.

CAPVT XI.

QVÆSITVM est, an easdem pœnas patiantur in publicis iudicijs statuliberi, quas ceteri serui. Et pati quidē pœnas easdem statuliberos, asserit Pomponius cap. xxix. in princ. de statulib. negat Modestinus cap. xiiij. de quæst. Quid dicemus? Aliud nihil, quàm pugnam hanc sic componi posse, vt definiamus Pomponium ius illud tractare quod eo tempore in vsu fuit quo Q. Mutius floruit: Idque ex hac eiusdem capitis xxix. epigraphe satis intelligi, *Pomponius libro octauo decimo ad Quinctum Mutium.* Eoque iure vti tam diu visus est populus Romanus, donec tandem diuus Pius Saluio Martiano rescripsisset statuliberum quasi liberum puniendum esse, cap. ix. in fine, de pœnis. Quid enim aliud præ se ferunt hæc Vlpiani verba, *Statuliberum quasi liberum eum iam puniendum:* quàm statuliberum ante hanc diui Pij constitutionem quasi seruum punitum fuisse? Quid autem, si sic legamus, *Statuliberum quasi liberum esse iam puniēdum:* vt pro *Eum*, reponamus, *Esse*? Ethæc quidem videri potest probabilis emendatio, quòd *Eum*, & *Esse*, ijsdem notis veteres expresserint. Auctor est enim Valerius Probus sic veteres has notas I. C. E. V. interpretatos esse, *Iusta causa esse*, vel, *Iusta causa eius videbitur.* Sic igitur legendum est in d. capite ix. *Statuliberum quasi liberum esse iam puniendum, diuus Pius Saluio Martiano rescripsit.* Et ita quidem ante rescriptum istud

istud diui Pij statuliberi, non quasi liberi, sed vt serui videntur puniri consueuisse. Eoque ad Quinctum Mutium libro octauo decimo arbitror Pomponium respexisse. Post verò editam hanc diui Pij constitutionem, statuliberi non vt serui sed vt homines liberi plecti cœperunt: ad quam constitutionem trahendum est superius Modestini responsum. Idem Vlpianus statuliberos non vt homines liberos, sed vt seruos esse coërcendos alio loco tradidit. Quid tamen, inquit, si sub conditione accepit libertatem? Ecce nondum liber erit; sed vt seruus potest coërceri. cap. j. §. j. in fin. Si is qui test. lib. esse iuss. erit. hoc est, puniri. cap. vj. in fin. cum cap. seq. & cap. xxviij. circa princ. de pœnis. Et idcirco ni hæc quam primus excogitaui conciliandi ratio hoc in loco recepta fuerit, profectò quid dici absurdius potest, quàm vnum eundémque Vlpianum contraria scripsisse? Eaque res efficit, vt mihi prorsus persuasum habeam, Vlpianum antè ad edictum scripsisse, quàm edita esset supradicta diui Pij constitutio, & ex libro ad edictum trigesimo octauo posteriorem hanc Vlpiani sententiam repetitā esse, vt indicat inscriptio d. cap. j. ad hęc per diuum Pium, nō Antoninum Pium, sed Antoninum Caracallam sub quo floruit Vlpianus, esse intelligendum, idq; ex particula *Iam*, omnino probari: præsertim cum liquidò constet, Antonino Pio imperante nondum in aliquo

Iuris

Iuris prudentum numero Vlpianum floruisse. Antoninum autē Caracallam, Antoninum Augustum pium nostrum, interdum appellasse Vlpianum alio loco demonstratum est. Proinde quis est qui non animaduertat hæc Vlpiani verba *Diuus Pius iam constituit*, nihil aliud esse quàm illa eiusdem, *Diuus Pius noster constituit?* Et ita mihi videtur.

Quid sit XPHΣIΣ.

CAPVT XII.

AIT Vlpianus: sed si χρῆσις sit relicta, an vsus sit videndum est. Et Papinianus libro septimo responsorum ait, vsum esse, non etiam fructum relictum. cap. x. §. j. de vsu & habit. Duplex erat olim dominium, Bonitarium & Quiritarium. Qui rem in bonis habebat, χρῆσιν: qui rei alicuius nudo Quiritium iure dominus erat, κλῆσιν habere dicebatur. Idq; ex septimo libro Epist. familiarium Ciceronis est euidentissimum. In eo enim libro quædam extat M. Curij ad Ciceronem epistola, in cuius principio sic legitur: Sum enim χρήσῳ μὲν tuus, κλήσῳ δ᾽ Attici nostri. Ergo fructus est tuus, mancipium illius. In epistola sequenti sic respondet Cicero: Cuius quando proprium te esse scribis mancipio & nexu, meum autem vsu & fructu, contentus isto sum. Id enim cuiusq; proprium est, quo quis fruitur atque vtitur. Vsus igitur & fructus χρῆσις dicitur, mancipium verò & nexus κλῆσις. Et hinc quidem opinor intelligimus,

mus, quæ fuerit apud Papinianum dubitandi ratio. Quia enim vsus & fructus χρήσεως appellatione cōprehenditur, quæsitum idcirco fuisse videtur apud Papinianum, si pecorum χρῆσις relicta sit, puta gregis ouilis ad stercorandum agrum, ctesi eiusdem gregis alteri nominatim excepta, vtrum agni, lana, & lac, quæ in fructu sunt, ad eum qui χρῆσιν, an verò ad eū qui κλῆσιν habet pertineat. Respondit Papinianus, vsum esse, non etiam fructum relictum. Et ita χρήσεως appellatione interdum vsus & fructus, interdum vsus sine fructu comprehenditur. Tunc quidem sub chresi vsus & fructus continentur, quum ctesis non excipitur: quod in alienatione rei mancipi contingit. Hoc enim casu quominus ctesin præstari, hoc est rem emptam mancipio dari postulet is qui chresin habet, nihil quidquam vetat. Quum autem ctesis excipitur, ea tunc eius qui chresin reliquit fuisse videtur intentio, vt vsum rei relictæ nudum sine fructu penes eum manere voluerit, qui χρῆσιν habet, & eiusdem rei fructū fieri alterius habentis κλῆσιν. Cùm igitur sic scriberet Vlpian. *Sed si* χρῆσις *sit relicta:* hæc videntur subaudiri verba debuisse, *Ctesi nominatim excepta*. Interpretatio Suidæ quam secutus est Alciatus, huic loco non conuenit. nullam enim continet dubitandi rationem. Nam dubitasse veteres de duplici quadam vocis huius significatione, ex verbo *Videndum* satis constat.

Exceptiua

Exceptiones pro pactionibus interdum à veteribus vsurpari.

CAPVT XIII.

EXCEPTIONES non solùm appellari solent defensiones quibus actorum excluduntur intentiones, sed interdum pactiones etiam exceptiones significant. Quo sensu excipiendi verbo vsus est Horatius Sermonum lib.ij. Sat.iij.

———Mentem nisi litigiosus
Exciperet dominus.

De eo enim loquitur Horatius, qui cum emptore pactus fuerat, mentem mancipij sanam non præstare. Sic excipere seruum sine peculio, visus est eo planè sensu Vlpianus accepisse, quo diceremus, pacisci cum emptore de quodam hereditario seruo sine peculio vniuersa hereditate vendita retinendo. capite ij. §. x. de heredit. vel act. vend. Idem Vlpianus de eo disputans qui hereditate vendita pactus cum emptore fuerat, de retinendis quibusdam ædibus quarum nomine damni infecti promissum erat, sic scripsit: *Si venditor hereditatis ædes sibi exceperit, quarum nomine damni infecti promissum erat.* dicto cap. ij. §. xi. Denique cum sic in diuinat. scriberet Asconius; *Menius cum domum suam venderet Catoni & Flacco censoribus, vt ibi basilica ædificaretur, exceperat ius sibi vnius*

vnius columnæ: quid aliud quæso sibi voluit, quàm Menium ædes alienantem pactum esse cum censoribus sibi vnius columnæ ius illæsum perpetuò & saluum fore? Idque Festi illud liquidò confirmat: Restibilis ager fit, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato; quod ne fiat, solent qui prædia locant excipere. Quid enim in hoc loco Excipere aliud est quàm pacisci? Et hæc quidem si vera sunt, nũc opinor intelligimus, et rectè et verè pactiones illas quibus imminuitur legitima conuentio exceptiones his verbis Vlpianũ appellasse: *Adeo autem bonæ fidei iudicijs exceptiones postea factæ insunt.* capite vij. §. adeò. de pactis. Eóque sensu exceptionis vocabulo vsus est etiam Modestinus in cap. xxxix. de act. empti. & præter Modestinum Pomponius in capite xxxij. de vsuf. Proinde videndum est, an rectè vir quidam acutissimus pro *Exceptiones* reponendum esse *Depectiones* apud Vlpianum arbitratus sit in d. §. adeó.

Explicatur Cap. XXXI. D. De pœnis.

CAPVT XIIII.

GELLIVS auctor est libri quinti capite decimo quarto Androdum consularis cuiusdam viri seruum rei capitalis dãnatum cùm ad bestias datus esset, & à leone atrocissimo seruat° incolumis, cũctis petẽtibus dimissum

dimissum fuisse, & pœna solutum, leonémque ei suffragijs populi donatum. Hinc colligo, ad bestias damnatos, etiamsi vnam aut alteram belluam superassent, necdum tamen pœna solutos fuisse. Et idcirco si Androdus pœna solutus dimissúsque fauore populi non fuisset, leone illo atrocissimo educto, alia confestim bellua in consceptum caueæ immissa fuisset. Huc spectat illud Modestini: Ad bestias damnatos fauore populi præses dimittere non debet: sed si eius roboris vel artificij sint, vt dignè populo Romano exhiberi possint, principem consulere debet. cap. xxxj. de pœnis. Sensus enim est, Si is qui ad bestias damnatus est belluam aliquam superauerit, non debet fauore populi illum præses dimittere, hoc est (vt Gellius interpretatur) pœna soluere: sed si constiterit, eximijs viribus aut artificio quodam singulari belluam vnam aut alteram esse superatam, & ob id dignum hunc victorem qui in ludo exhibeatur populo Romano, principem Modestinus ait à præside consulendum esse.

Emendatur & explicatur Vlpiani locus, de eo qui equo publico in causa publica transuehitur.

CAPVT XV.

TESTATVR Liuius libro nono à Q. Fabio Maximo institutum, vt equites Idibus Quinctilibus trāsueherētur. Quod qua ratione accipi debeat, non intellexerunt viri eruditi

ri eruditi qui Liuiū & qui iura interpretati sunt: Existimántque ad illam equitum censionem Liuium respexisse, quam hunc in modum in Pompeio Plutarchus, & Festus de verb. sig. lib. iij. & viij. descripserunt: Ad censores curuli insidentes in foro, dignitate ornatuque insignes singuli equites equum suum manu adducebāt, & de stipēdijs legitimis interrogati, rationem ijs reddebant: tum si quæ multa equiti irroganda videretur, censionem faciebant, diligentérque de curatione equorum inquirebant: & si quem malè curatum inuenirent, nō censionem solùm, sed impolitias etiam faciebant, hoc est equiti æs abnegabant qui equum malè curauerat. Qua de re sic etiam apud Gellium scriptum inueni lib. iiij. cap. xij: Item si quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur: id verbum significat quasi tu dicas incuriæ. Et hæc quidem omnia ex antiquo imperatoris Claudij numismate



quodam euidenter etiā possunt intelligi. in cuius nūmi vna parte circa caput Claudij hę literę sunt: TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. PP. In altera parte effigies censoris curuli insidentis, ad quem manu equitis equus ducitur, cum hac inscriptione CENSOR. Numum hunc Hubertus Goltzius antiquitatum

restaurator eximius mihi nuper manu sua delineatum exhibuit: eiúsque idcirco partẽ alteram hîc effingendam curaui, vt eximiæ quoddam in illustranda Romanorum antiquitate nostri Goltzij virtutis specimen his lucubrationibus meis testatum posteris & consignatũ relinquam. Ceterùm in transuectione equitũ nihil huiusmodi fieri adsolet. Quamobrẽ trabeatos equites Iulij Q. Fabius non censeri, sed transuehi instituit, vt ex Liuio & Valerio probatur. Sic nimirũ, vt equites Romani Idib. Quinct. ab æde Honoris, equis insidentes & olea coronati in Capitolium transirent. Ita enim Liuium & Valerium expresse interpretatus est Plinius aut, si mauis, Cornelius Nepos in lib. de viris illustribus: vbi de Q. Fabio (quẽ non Rutilianum, sed Rullianũ appellandum esse docent antiqui nummi fastiq; consulares) ad hunc modum legitur: Hic primus instituit vt equites Romani Idib. Quinct. ab ęde Honoris equis insidentes in Capitolium transirent. Ex quo loco satis esse perspicuum puto, non censionem equitũ instituisse Fabium, sed equitum transuectionem quandam, quæ singulis Idibus Quinctilibus, ordinis totius equestris recognoscendi probandiq; gratia fieri videtur cõsueuisse. Nec id mirum præsertim si addideris de hac eadem transuectione Plinium sensisse, cùm sic lib. xv. cap. iiij. scriberet: Oleæ honorem Romana maiestas magnum prę buit, turmas equitum idibus Iulijs ex ea coronando.

nando. Et ad hanc quidem equitũ transuectionem omnino etiam visus est Vlpianus respexisse eum qui equo publico transuehitur negans in ius vocari posse, cap. ij. de in ius voc. Et idcirco nõ *In caussa publica*, sed *In Capitolium* existimo Vlpianum scripsisse, & in notarum interpretatione lapsum esse Tribonianum. Quum enim notis sic scriptum esset apud Vlpianum; *Qui eq. p. in cap. transuehitur*, ita legisse visus est Tribonianus, *Qui eq. p. in ca. p. transuehitur*, & inde scripsisse *Qui equo publico in caussa publica trãsuehitur*, cùm scribere debuisset, *Qui equo publico in Capitoliũ transuehitur*. Vt enim his notis C.A.P. caussa publica, sic illis CAP. Capitoliũ significabatur, quemadmodũ partim ex Valerio Probo, partim ex nummis & antiquis inscriptionib. frequẽter obseruaui. Et hanc quidem emendationem verissimã esse ex eo constat, quòd primus instituerit D. Augustus ne is qui equo publico in Capitolium transuehitur possit in ius vocari. Augustus, inquit Suetonius, equitũ turmas frequenter recognouit, post longam intercapedinem reducto more transuectionis: sed neq; detrahi quenquã in transuehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat. Igitur ante Augusti tempora detrahi eques in transuehendo ab accusatore, hoc est ab actore in ius ex equo trahi & rapi poterat qui transuehebatur. Accusatores in eum cuius nomen apud quæsitores defe-rebant, nullam habebant manus inijciendæ po-

testatem. Proinde quæ hîc de accusatore dicuntur, ea ad quemlibet actorem pertinere dubium non est. Cicero in Partit. Sed accusatorem pro omni actore & petitore appello. Et idcirco locus hic pandectarũ ex Vlpiani sententia ad equitum transuectionem omnino referendus videtur; quem locum notarum tandem deceptus interpretatione, ad eos traxisse visus est Tribonianus, qui reipublicæ causſa equo publico proficiscuntur: præsertim eo sensu equum publicum accipi etiam posse non ignorans, quemadmodum in quadam ad Iulianum epistola liquidò demonstrat diuus Hieronymus. Iam, inquit, demisso synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem iuuenem punicea indutum tunica baltheus ambiebat: & tamen ille apposito notario cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus. Eóque sensu equũ publicum visus est etiam accepisse Cassiodorus Variarum lib. v. Iustum est, inquit, vt cogatur illa vendere, vnde publicum equum malè noscitur onerasse. Bone deus, quàm is fallitur qui Vlpiani temporibus equites equo publico vsos non esse constanter asserit? Inspiciat porrò quid tit. vij. in fragmentis ipsemet Vlpianus de equo publico, de lato clauo, déque honoribus similibus annotatum reliquerit.

Quæ dicantur diuisiones, & quid sit apud Paulum ad diuisionem singulorum ciuium legare.

CAPVT XVI.

PAV-

PAVLVS ait, quod ad diuisionem singulorum ciuium legatum est, illud ad honorem ciuitatis pertinere, cap. cxxij. de legat. primo. Quæ verba hanc habere sententiam videntur, vt nummorum qui viritim populo diuidendi relinquuntur, legatum, ad honorem pertineat ciuitatis. Et hoc inde potissimùm, quòd honori veteres duxerint, sibi morientium testamentis aliquid relinqui: capit. xi. §. xvij. de leg. iij. capite xv. in princ. de lege Corn. de falsis. quemadmodum ex hac inscriptione constat: POMPONIVS ATIMETVS FECIT SIBI ET SVIS ET HELVIÆ NEREIDI CONIVGI BENEMERENTI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE EORVM QVOS TESTAMENTO HONORAVIT, POSTERISQVE EORVM. Eóque arbitror Tacitum respexisse, cùm sic annalium lib. iij. scriberet: Testamentum eius multo apud vulgum rumore fuit, quia in magnis opibus cùm ferme cunctos proceres cum honore nominauisset, Cæsarem omisit. Sic honore legati tutores persequi, visus est etiam Vlpianus scripsisse cap. xxxvi. de excusat. Hunc autem honorem ciuitati tunc haberi, quum aliqui ciuibus singulis nummi legantur, mirum non est, si consideremus populum ipsum ciuitatem sic esse, vt quod populo fit, id ipsum ciuitati; & quod ciuitati, id etiam fieri populo non obscurè intelligatur. Idque ex Nonio Marcello euidenter

potest probari, qui hanc inter vrbem & ciuitatem differentiam constituit: Vrbs est ædificia, ciuitas incolæ. Et idcirco legatum vel fideicommissum ciuibus ciuitatis datum, ciuitati relictum videri testatur Papinianus cap. ii. de reb. dub. Et quod Paulus *ad diuisionem singulorum ciuium legare*, hoc alio modo *ciuitatibus in distributionem relinquere* dixit Martianus cap. cxvij. de legat. i. Quæri potest, hæc diuisio quomodo apud Romanos fieri consueuerit? Respondeo, singulas tribus legitimos suos diuisores habuisse, idque Asconium in hunc Ciceronis locum scripsisse, act. ii. in C. Verrem: Vnum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam, fiscos complures cum pecunia Sicilienſi à quodam senatore ad equitem Romanum esse translatos: ex his, quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos esse comitiorum meorum nomine, diuisores omnium tribuum noctu ad istū vocatos. Eoque sensu diuisores etiam visus est accepisse idem Cicero quū sic Epist. lib. i. ad Atticum scriberet: Consul autem ille deterioris histrionis similis suscepisse negotium dicitur, & domi diuisores habere: sed senatusconsulta duo iam facta sunt odiosa, quòd in consulem facta putantur, & Domitio postulante: vnū, vt apud magistratus inquiri liceret; alterum, cuiusmodi diuisores haberent contra rempub. His addatur illud Suetonij in Augusto. C. Octauius pater à principio ætatis & re & existi-

existimatione magna fuit: vt mirer equidem hunc quoque à nonnullis argentarium, atque etiam inter diuisores operásq; campestres proditum. Hæc Suetonius, haud dubiè per operas campestres, eos intelligēs qui calatis in campū Martiū comitijs aliquo ministerio publico fungebantur. Diuisores pecuniā populo viritim diuidebāt, singuli in sua tribu, & alio nomine magistri curiarū appellātur, vt idem Ascon. auctor est. De quib. sic loquitur in Aulularia Plautinus Euclio:

Nam noster nostræ qui est magister curiæ,
Diuidere argenti dixit nummos in viros.
Id si ego relinquo, ac non peto, omnes illico
Me suspicentur credo habere aurum domi.
Nam non est verisimile hominem pauperem
Pauxillum parui facere quin nummum petat.

Et paulo pòst:——*Neque quisquam curialium*
Venit, neque magister quem diuidere argentum
Oportuit.

De huiusmodi ciuiū diuisionibus sentire visus est Cornel. Tacitus Annalium lib. j. cùm ita scriberet: Ceterùm Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit, seq; collegā consulatui eius destinauit. Eoq; etiam hęc antiquarum inscriptionū monumēta sunt referēda: STATVAM MERCVRII OB HONOREM QVINQ. POSVIT, CVIVS DEDICATIONE DEDIT POPVLO VIRITIM DENARIOS SING. L. D. D. D. Item: HONORE CONTENTVS IMPENDIVM REMISIT, ET DE-

DICATIONE STATVÆ NVMER. COLL. IPSORVM SPORTVL. DEDIT SINGVLIS DENARIOS BINOS: L. D. D. D. Et iterum: QVI OB PROMISS: VENAT. PHETRIS DIVISIT QVINA MIL. NVM. Et sic satis opinor esse perspicuum, quomodo ciuium fieri diuisio apud Romanos soleat: quid item per diuisiones intelligi voluerit Marcellus in cap. xxiij. de annuis legatis.

Quo sensu virgines Vestales capi scripserit Vlpianus, & locus A. Gellij restitutus ex manuscripto codice.

CAPVT XVII.

FLAMINES Diales inaugurari, & Vestales virgines capi solere, auctor est in fragmentis Vlpian. tit. x. In potestate, inquit, parentum esse desinunt, qui Flamines diales inaugurantur, & quæ virgines Vestę capiuntur. Idque de virginibus Vestæ testatur etiam in epistola quadam diuus Ambrosius, sic Valentiniano Augusto scribens: Vix septem Vestales capiuntur puellæ; En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium muricęs, pompa lecticę ministrorum circũfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingẽtia, præscripta denique pudicitię tempora coëgerunt. Idem Ambrosius sic etiam lib. iij. de virginibus scribit: At certè ipsis gentilibus inter aras & focos venerabilis

rabilis solet esse virginitas, & in quibus nulla meritorum est pietas, nulla mentis integritas; in ijs tamen carnis virginitas prædicatur. A prophanis igitur cæremonijs virgines nemo prohibebit, ab ecclesia dei virginitas arcebitur? Illic coguntur quod non docentur, hîc interdicitur quod non licet non doceri? illic prẽmijs reuocãtur à nuptijs, hîc ad nuptias coartabuntur iniurijs? Illic violentia fit vt capiantur, hîc fiet violentia ne profiteantur? Hæc diuus Ambrosius. Quibus etiam consentaneum est quod libro secundo Tacitus in hunc modum de Tiberio scribit: Post quæ retulit Cæsar capiendam virginẽ in locum Occiæ, quæ septem & quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris præsederat. Idem lib. xv: Defunctáque, inquit, virgo Vestalis Lęlia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est. De ritu autem Vestalis virginis capiundæ sic scribit Gellius lib. i. cap. xij: De more ritúque capiundæ virginis litteræ quidem antiquiores non extant, nisi quæ capta prima est, à Numa rege esse captam. Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur vt pontificis maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur, sortitióque in concione ex eo numero fiat. Hæc Gellius. Ex codice autem manu scripto, quem apud Louanienses in Bibliotheca Buslidiana reperi, hanc Papiæ legis sententiam mutilam esse et imperfectã in omnibus impressis exemplaribus animaduerti, ad-

dendaque hæc verba: *Et cuius virginis ducta erit vt eam pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat.* Est igirur ad hunc modum integritati pristinæ restituenda quam Gellius allegat, legis Papiæ sententia: *Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur vt pontificis maximi arbitratu viginti è populo virgines legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat, & cuius virginis ducta erit, vt eam pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat.* Et hæc hactenus.

De Triumuiris capitalibus.

CAPVT XVIII.

TRIVMVIROS capitales cõstitutos esse scribit Pomponius, qui carceris custodiam haberent, vt quũ animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret, cap. ij, §. xvi. de orig. iuris. Hæc verba nõ sic accipere conuenit, quasi vnquam custodes carceris triũuiri fuerint, sed ita potius vt curam habuerint custodię carceris. Idque satis indicat Liuius, cum sic lib. xlij. scribit: Et triumuiri carceris latomiarum intentiorem custodiam habere iussi. Ex eodem autem Liuio alijsque probatis auctoribus liquidò constat, carnificem carceris custodem fuisse, non triumuiros capitales. Sic enim scribit lib. vi. Liuius: Eum pati vinctũ in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? Et Seneca Epist. lib. ij: Liberiora sunt alimenta carceris, sepositos ad capitale supplicium non tam angustè qui occisurus est pascit. Et id quidem adeo verum est, vt in carcerem & ad carnificem trahere

trahere, vno eodémque sensu frequẽter posuerint veteres. Plautus in Rudente.

Iube illos in vrbem ire obuiam ad portum mihi
Quos mecum duxi qui hunc ad carnificem trahant.

Proinde verisimilius est triumuiros carceris custodes non fuisse, sed curam custodiæ carceris habuisse. Idque ex Valerio Maximo satis potest intelligi, qui de singulari & eximio quodã filiæ erga matrem amore disserens lib. v. cap. iiij. triumuiros expresse à carceris custode distinxit. Sic enim scribit: Sanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatum, triumuiro in carcere necãdam tradidit: quam receptam is qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strãgulauit: aditum quoq; ad eam filię, sed diligẽter excussę, ne quid cibi inferret, dedit, existimãs futurũ vt inedia cõsumeretur. Cum autẽ iam dies plures intercederent, secum ipse quęrens quidnam esset quòd tandiu sustnetaretur, curiosius obseruata filia animaduertit illam exerto vbere famem matris lacti s sui subsidio lenientem. Quę tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad triumuirum, à triumuiro ad prætorem, à prætore ad consulum iudicium perlata remissionem pœnæ impetrauit. Hęc Valerius. Eóque sensu accipiendum etiã est quod idem Valerius lib. viij. ca. iiij. hunc in modum scribit: Fannij seruus Alexander cùm in hanc veniisset suspicionem C. Fl. equitis Romani occisi, septies tortus pnegauit ei se culpæ

se culpę affinem esse: sed perinde atq; confessus, & à iudicibus damnatus, & à L. Calpurnio triumuiro in crucem actus est. Id enim sic accipiendum est, quasi dixerit Valerius, non ab ipso triumuiro, sed interuētu L. Calpurnij triumuiri capitalis à carnifice in crucem Alexandrum hunc actum fuisse. Huius etiam loci est, quod in coniur. Catil. sic scribit Sallustius: Triumuiros, quæ supplicium postulabat, parare iubet. Auctor est Festus, lege quadam tribunitia exigere etiam sacramenta triumuiros capitales cōsueuisse. Sacramentum autem veteres appellabant, inquit idem Festus, quod pœnæ nomine pendebatur: & quidem duplici ratione, interrogatione nimirum, & contentione. Qui in huiusmodi pœnas ex legibus senatúsue consultis aut constitutionibus inciderant, quæ lui pecunia debebant, hi à triumuiris pœnam exigentibus, sacramento interrogari dicebantur. Cæterùm sacramento olim contendi solet, quum de re aliqua incideret cōtrouersia. Tunc enim alter alterum sacramento interdum quingenario, plerunque quinquagenario prouocabat hac formula, QVANDO NEGAS TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO; auctore Valerio Probo. Idque etiam Varro testatus est lib. iiij. de ling. Lat. Sed quia locus Varronis mendosus est, eum non vt vulgò legitur, sed ita vti à me est restitutus, hîc subijciam. Ea pecunia, inquit Varro, quæ in iudicium

dicium venit in litibus, sacramentum, à sacro: qui petebat & qui inficiabatur, de alijs rebus vterque quinquagenos asses apud pontificem deponebat, de alijs rebus, item certum alium & legitimum numerum assium. qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ærariū redibat. Hactenus Varro. Idque adeo verum est, vt sacramentum in alijs rebus assium quinquaginta fuisse, in alijs quingentorum, inter eos qui iudicio inter se contendebant, etiam Festus admonuerit. Et hæc quum ita sint, non esse nunc admodum obscurum puto, quid sibi voluerit huius tribunitiæ legis auctor, quam apud Festum de verb. signif. li. xvij. facilè mihi persuasit Lucas Fruterius ingenio singulari præditus adolescens, ad hunc modum restituendā esse: QVICVNQVE POSTHAC PRAETOR FACTVS ERIT QVI INTER CIVEIS IVS DICET, TRES VIROS CAPITALES POPVLVM ROGATO: IIQVE TRES VIRI CAPITALES QVICVNQVE A POPVLO FACTI ERVNT SACRAMENTA EXIGVNTO IVDICANTOQVE, EODEMQVE IVRE SVNTO VTEI EX LEGIBVS PLEBEIQVE SCITIS, EXIGERE, IVDICARE, ESSEQVE OPORTET. Elegans lex tribunitia, eleganterque restituta, per quam triumuiros capitales populum rogare prætor iubetur: illique à populo facti, sacramenta exigebant, & iudicabant. sic nimirum, vt si quid

si quid pœnę nomine ab aliquo dependendum foret, id si non penderetur, exigerent triumuiri. tunc si is à quo sacramẽtum exigebatur, negaret pœnæ nomine se conueniri posse: ijdem triumuiri non exigebãt solùm, sed etiam sacramentum siue de sacramento iudicabant. Fuisse autem huius legis auctorem L. Papirium tribunum plebis Festus contendit. Sanè quendam L. Papirium tribunum fuisse militum testãtur Fasti consulares, nullum autem L. Papirium tribunum plebis. Cicero pro domo sua Q. Papiriũ legem tribunitiam rogasse ait, quę vetaret iniussu plebis, ædem, terram, agros consecrare. Fortassis hunc eundem huius nostrę de triumuiris capitalibus legis tribunitiæ auctorem fuisse nõ malè dixeris. Nec quidem sacramenta duntaxat exigebant, iudicabantque triumuiri capitales, sed de seruis etiam, de furibus, alijsque vilibus & abiectæ condicionis hominibus cognoscebant, & in eos apud columnam Meniam animaduertebant, vt auctor est Asconius. Quò spectat illud Plauti in Aulularia.

——*Quid stolide clamas?*
Eu. Quia ad tresuiros iam ego deferam tuum nomẽ.
C. quamobrem?
Eu. Quia cultrum habes. C. Coquum decet. Eu. Quid comminatus es
Mihi? C. Istud malè factũ arbitror quia nõ lat⁹ fodi.

Solent qui cum telo hominis occidendi caussã ambulabant, lege Cornelia teneri. cap. i. Ad l. Cornel.

Cornel. de sic. Et tunc quidẽ, si viles accusandi forent, & improbæ conditionis homines, quales esse lenones, fures, coqui, serui, meretrices, & id genus alij existimantur: non apud quęsitorem, sed apud triumuiros capitales eorum nomina deferebantur. Idque ex hoc Plauti loco satis, ni fallor, intelligi potest, presertim si addideris, sic eundem Plautum in Asinaria scripsisse:

Ibo ego ad tresuiros, vostraque ibi nomina
Faxo erunt capitis.

In hoc enim loco, quia de ijs controuersijs quæ ingenuo adolescenti cum scorto fuerant, disseritur; ideo non apud prætorem, sed apud tresuiros capitales lenæ meretricúmque nomina se delaturum adolescens minatur.

Conciliatio cap. lxxxi. De furtis, cum cap. iij. §. iij. Ad legem Iuliam peculatus.

CAPVT XIX.

AIT Papinianus: Ob pecuniam ciuitati subtractam, actione furti, non crimine peculatus tenetur. d. cap. lxxxi. Cõtrà: Si de re ciuitatis aliquid surripiatur, cõstitutionibus inquit Martianus, principũ diuorũ Traiani & Hadriani cauetur peculatus crimẽ cõmitti, d. §. iij. Pugnam hãc sic cõpones, vt dicas aliud esse subtrahere ciuitati pecuniã, aliud de re ciuitatis aliquid surripere. Subtrahit curator reipublicę, qui quum reipublicę nomine cẽtum & quadraginta recepisset, cẽtum duntaxat in tabulis accepta fert: surripit, qui rem quæ in vsu populi est, & iure

& iure dominij ab eo possidetur, aufert clam ex publico loco, & in vsus priuatos conuertit. Curator qui pecuniam ciuitati subtraxit, si quidem id ignorans fecerit, calculi error retractabitur, cap. penult. de administ. rer. ad ciuit. pert. sin verò per fraudem, furti actione, non crimine peculatus tenebitur, hoc est in duplum. cap. fi. §. j. d. tit. Administrationis enim fraudulentæ, non criminis alicuius arguitur. Aliud est si præsides aut proconsules alijque Romanorum magistratus aliquid ærario subtraxerint. Illi siquidem non furti sed peculatus solent insimulari, eiúsque pœna coërceri. cap. x. Ad L. Iul. pecula. Nō enim dubito, quin per tabulas publicas, eas tabulas quę à præsidibus in ærarium populi Romani deferebantur, Martianus intellexerit in dict. ca. x. argum. cap. viij. & cap. ix. §. ij. & iij. dict. tit. Certè quia de quæstoribus & præfectis ararij sic etiam scripsit Tacitus lib. xiij. Dein princeps curam tabularum publicarum à quæstoribus ad præfectos transtulit.

De his qui officij caussa in prouincijs agunt, vel militant.

CAPVT XX.

MODESTINVS scribit: Qui officij caussa in prouincia agit vel militat, prædia comparare in eadem prouincia non potest, præterquàm si paterna eius à fisco distrahantur: cap. lxij. de contrah. empt. Addit Martianus, eum qui quid ex officio quod administrat,

ministrat emit, vel per se vel per aliam personā, nō tantùm rem amittere, sed & in quadruplum conueniri, secundum constitutionem diui Seueri & Antonini imperatorum, cap. xlvi. d. tit. Cur autem hæc tam disertè cauta & sancita fuerint, elegans est à M. Cicerone in Verrina sexta prodita ratio. Quæ fuit causa, inquit Cicero, cur tam diligēter nos in prouincijs ab emptione remouerent? Hæc iudices, quòd putabant ereptionem esse, non emptionem, quum venditori suo arbitratu vēdere non liceret. In prouincijs, intelligebant, si is qui esset cum imperio et potestate, quod apud quemque esset emere vellet, idque ei liceret, fore vti quod quisque vellet, siue esset venale, siue non esset, quāti vellet auferret. Hæc Cicero. Similis quoque ratio fuisse videtur, cur is qui in aliqua prouincia officium administrat inde oriundam vel ibi domicilium habentem vxorem ducere nō possit: cap. xxxviij. de ritu nupt. Ne videlicet eripere magis quàm consensu parentū amicorúmque liberrimo vxorem ducere videatur. Spōsalia tamen sic contrahi possunt, vt si post depositum officium mulier nuptias contrahere noluerit, liceat ei hoc facere, arris tantummodò redditis quas acceperat. d. cap. xxxviij. Et ita Paulus scribit: cuius sententiæ omnino contrarium videtur rescriptum Gratiani, Valentiniani, & Theodosij imperatorum quod extat sub Tit. Cod. Si rector prouincię. In eo enim rescripto

expreſsè traditum eſt, ne arras quidem intuitam ſponſam quas acceperat, cogendā reddere. Hāc pugnā vt cōponāt interpretes, referre nec opus nec otium, nec operæpretium eſt. Tantùm illud dicam, ne ipſum quidem Cyrillum Græcum interpretem audiendum eſſe, qui Pauli reſponſo eos tantùm cōtineri exiſtimat qui officium administrant, imperatorum verò reſcriptum de ipſo præſide accipiendum eſſe. Quid? quum reſponderet Modeſtinus eum qui officij cauſſa in prouincia agit vel militat, prædia comparare in eadem prouincia non potuiſſe, an quæſo officij nomine præſides, proconſules, reliquóſque ſimiles magiſtratus non eſt complexus? Id ſi negaueris, obijciam Martiani reſponſum. Is enim imperatorum Seueri & Antonini, de ijs qui officij cauſſa in prouincijs militant, conſtitutione, ipſos etiam Cæſaris procuratores contineri expreſsè tradidit cap. xlvj. de contrah. empt. Reſponſo Martiani Hermogenianum ſubijcio, qui officij cauſſa in prouincijs militantes, præſidem ſeu procuratorem, vel alium quemlibet interpretatus eſt, ca. xlvi. de iure fiſci. Proinde quod Paulus de officij cauſſa in prouincijs militante ſcribit ca. xxxviij de ritu nupt. id omnino tā ad præſides, proconſules, ſimiléſque magiſtratus, quàm ad reliquos officiales pertinere dubiū nō eſt. Quid ergo dicemus? Id certè quod res eſt: nimirū conſtitutionē Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij, hac in parte iuri veteri derogare.

Et ita mihi videtur.

IAC. RÆVARDI I. C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBER TERTIVS.

Quæ nominibus obligatio fieri dicatur, & de ſignatoribus quædam non vulgaria.

CAP. I.

OLIM, INQVIT IVSTINIANVS ſcriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non ſunt in vſu. §. i. Inſt. de lit. oblig. cap. i. de annuis legat. Qualis hæc fuerit quæ nominibus fiebat obligatio, rectè (vt opinor) nulli interpretantur. Eam eleganter, quanquam non abſolutè omnino, ex veterum iuriſconſultorum cōmentarijs Theophilus mihi deſcripſiſſe viſus eſt. Ait enim ſic apud veteres nominib. fieri ſolitam obligationem, vt is qui rem aliquam emptionis, locationis, ſtipulationis, aut ſimili quouis titulo ſibi habebat obligatā, maioris ſecuritatis cauſſa tabulas proferret, quibus debitorē ad perſcribendam debiti, ſeu nominis quantitatem & cauſſam veterem hac intētione vrgebat, vt omiſſa veteris obligationis cauſſa cōmodior ſuccederet ex litterarum ſubſignatione ciuilis debiti perſecutio. Solétq; huiuſmodi obligatio (quod à Theophilo miror eſſe prætermiſſum)

preſentibus Romæ quidē equitibus aliquot aut alijs ornatis viris, in prouincijs verò ipſis duumuiris aut decurionibus tractari, qui literas huiuſmodi ſignabant. Scribit enim expreſsè Seneca de benef.lib.ij.cùm nomina fiunt,interponi pararios,ſignatores aduocari,& chirographū dari. Quidam, inquit, nolunt nomina ſecum fieri,nec interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nèc chirographum dari. Idem Seneca per tabulas plurium nomina adhibitis vtrinque teſtibus,interpoſitis pararijs, ſubſignatione,interrogatione,fieri ſolere expreſſius multò teſtatus eſt de beneficijs lib.iij.cap.xv. Vtinam, inquit,perſuadere poſſemus, vt pecunias creditas tantùm à volentibus acciperent: vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conuenta impreſſis ſignis cuſtodirentur, fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus.Sed neceſſaria optimis prætulerunt,& cogere fidem quàm ſpectare malunt. Adhibentur ab vtraque parte teſtes, ille per tabulas plurium nomina interpoſitis pararijs facit, ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem humani generis fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem: annulis noſtris plus quàm oculis creditur. In quid iſti viri ornati adhibiti ſunt? in quid imprimunt ſigna? Nempe ne ille neget accepiſſe ſe quod accepit. Hæc Seneca. Dubium non eſt quin de illa obligatione hîc ſenſerit Seneca, quæ olim fieri nominibus

minibus dicebatur: & nomina tunc fieri interpretetur,quum interpoſitis pararijs, plurium fiunt nomina. Sic,ni fallor,vt non ſolùm plurium, qui adhibiti ſunt, ornatorum virorum annuli chirographo imprimantur:verùm etiam vt teſtium ſignatorúmque nomina in ipſis chirographi tabulis exprimantur. Et ſic quidem ea forma fieri apud veteres plurium nomina dicebantur,qua ijdem verba fieri dixerunt. Quemadmodum enim verba fieri ab eo dicūtur qui loquitur, qui verba profert: ſic plurium quoque tunc fieri dicebātur nomina,quum plurium qui adhibebantur teſtium nominibus chirographū ſignabatur. Plurium igitur nomina per tabulas fieri non ſolebant,niſi nominibus obligatio cōttaheretur:nullámque nominibus vnquam obligationem fuiſſe contractam eſt veriſimile, in qua per tabulas plurium nomina non fierent. Et ita quidem multùm inter ſe differunt,nomina facere, & nomina plurium facere. Qui æs alienum contrahit,nomina nō plurium ſed plura, noménque non vnius ſed vnum facere dicitur.cap.xli.§.fi.de fideic.libert.Si tutor, inquit Papinianus, mandet ſuſcipi vel probari nomen quod fecit, teneri eum mandati.capit.xii. §.xi. Mandati.Hoc eſt,ſi tutor mādet debitum quod contraxit ſuſcipi vel probari. Et tunc quidem à nominibus,quæ pro debitis idcirco accipiūtur, quòd in tabulis accepti & expenſi ſcribi ſoleant debitorum nomina,nominum deſcendit appel

latio. Qui nomina pluriũ per tabulas faciebãt, vtrímque teſtes adhibebant,& pararios,hoc eſt librarios interponebant. Teſtes autẽ erant viri ornati,inquit Seneca; nimirum Romæ equites alijque clari nominis & integræ famæ viri; in prouincijs,duũuiri,decuriones,alijq; non ignobiles.His præſentibus ſic creditor debitorem ſuum interrogabat: *Centũ illos aureos quos mihi ex cauſſa mutui debes,tu mihi ex promiſsione,& conuentione litterarũ tuarũ dabis?* Tunc debitor reſpõdebat,*Ex conuentione dabo mearũ litterarũ.*Nec quidẽ huiuſmodi interrogatione cõtentus erat creditor, inquit Seneca, niſi rẽ quoq; manu teneret. Et idcirco tabulas quib. illa interrogationis & reſpõſionis ſolemnia verba continerẽtur, certis verbis & certis quibuſdam formulis trãſcribebant pararij,adiectis loco,die,& conſule. ca.ix. §.i.de pœn.cap.i.de edẽd.Huc ſpectat Plauti illud in Aulularia.

Noſtra ætas non multum fidei gerit,
Tabulæ notantur,adſunt teſtes duodecim,
Tempus locúmque ſcribit Actuarius:
Tamen inuenitur rhetor qui factum neget.

Huic etiam conſentaneum eſt illud Scæuolæ:Si librarius in trãſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet,nihil nocere quo minus & reus et fideiuſſor teneantur:cap.xciij.de reg.iur.Nec quidem dubito quin per pararium hîc intellexerit eum Seneca, quem Plautus actuarium, Scæuola librarium, & Vlpianus tabellionem appellant.

Tandem

Tandẽ viri ornati,qui erãt adhibiti,tabulis tranſcriptis nõ ſigna ſolùm imponebant, ſed nomẽ etiam quiſque ſuum ſubſcribebat. cap.xxxix.de verb.ſig.ca.xxij.§.iiij.Qui teſt.fac.po. cap.iiij. in fi.de auct.tut. Quomodo autem ſignari huiuſmodi tabulæ debuerint, eleganter docet Iulius Paulus Sent.lib. v.tit.xxv.his verbis: Ampliſſimus ordo decreuit,eas tabulas quę publici vel priuati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari,vt in ſumma marginis ad mediã partem perforatæ triplici lino conſtringantur, atque impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimãtur,vt exteriores ſcripturæ fidem interiori ſeruent:aliter tabulæ prolatæ nihil momẽti habẽt.Hęc Paulus.Fuiſſe hoc S. C. Neronis factum temporibus in Nerone docet Suetonius.Aduerſus falſarios, inquit, tunc primũ repertum,ne tabulę niſi pertuſæ ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur. Porro qui tabulas ſignabant,ſignatores dicebantur. ca.xxij. de teſtib.ca.vlt. de le.com.cap.xxxij.§.i.de furtis. Tabellæ verò ſubſignatæ, an ſyngraphæ, an verò chirographi nomen habuerint, videamus. Seneca viſus eſt eas appellaſſe chirographa. Inter ſyngraphas aũt & chirographa hanc conſtituit Pedianus differentiã,quòd in chirographis tãtùm quæ geſta ſunt ſcribi ſoleãt;in ſyngraphis verò etiam cõtra fidem veritatis pactio veniat, & nõ numerata quoq; pecunia, aut non integrè numerata,pro temporaria hominum voluntate

scribi soleant, more institutoque Græcorum: & ceteræ tabulæ ab vna parte seruari solent, syngraphæ signatæ vtriusque manu, vtrique parti seruandæ traduntur. Eas igitur de quibus nos tractamus tabulas chirographa rectius quàm syngraphas appellabimus: siquidē in obligationibus quæ fieri nominibus dicebantur, ea duntaxat quæ gesta erant, continebantur; quemadmodum ex Seneca & Theophilo probatum est. Proinde verba illa, quæ sic apud eundem Senecam leguntur, *Ille non est interrogatione contentus, nisi rem manu sua tenuit:* sic rectè interpretabimur, vt creditori satis nō fuerit, eo quem supra descripsi modo debitorē interrogasse, nisi rem, hoc est obsignatas tabulas manu sua tenuit. siquidem illæ ab vna parte, hoc est ab ipso creditore seruari solebant. Vnde satis esse absurdum videtur, quod Theophilus de scribēdo ad eum comminiscitur, quem creditor litterarum obligatione obligatum habere cupiebat. Is enim præsens interrogatus, auctore Seneca, respondebat. Doleo equidē Theophilum in hac prę-clara antiquitate ex eruditissimis veterum iurisconsultorum monumentis transcribēda, nullam maiorem curam aut diligentiam adhibuisse. Sunt quidem præclara, sunt egregia quæ ab eo proferuntur, sed mutila, sed imperfecta, & quæ à fide sincera nonnihil aberrant. Ceterùm equites Romanos huiusmodi tabulas signasse, quanquam id ex Seneca, qui tantùm viros ornatos

natos requirit, non euincatur: hinc tamen potest intelligi, quòd equites ius haberent annulorum & quòd prætor equites aliquot certo numero, qui in albo scribebantur, selectos habuerit olim, ex quorum numero in priuatis caussis liberam faciebat litigatoribus iudicem iudicéue eligendi potestatem, quemadmodum ex eodem Seneca cognoscimus de benef. lib. iij. cap. vij. & A. Gellio lib. xiiij. ca. ij. Et sic mirum non est, quos priuatis controuersijs dirimēdis prætor præfecerat, eosdem signandis etiam obligationibus priuatis operam dedisse. Et hæc quidem Romę sic erant in vsu. In prouincijs verò duumuiros, decuriones, aliósque viros ornatos testes vel signatores olim solitos adhiberi, non inficiabitur qui satis quid sibi voluerit Venuleius intelligit, cùm ita scriberet: Curent magistratus cuiusque loci, testari volentibus & se ipsos & alios testes vel signatores præbere, quò facilius negotia explicentur, & probatio rerum salua sit. cap. xxij. de testib. Dubium nō est quin de eâ obligatione senserit hîc Venuleius quę nominibus fieri dicebatur. certè quòd in ea contrahentes soleant testari, hoc est testes adhibere, quò facilius negotia (hoc est contractus, cap. iij. de bon. auct. iud. pos. cap. xxxv. & cap. lij. de cont. empt. cap. v. §. j. de oblig. & act.) explicentur, & probatio rerum salua sit. Illud prætereà otiosum non est, quòd dixerit Venuleius, *Testes vel signatores:* quasi aliqua in prouincijs

fieri nomina per tabulas potuerint præsentibus solis testibus, sola subscriptione, sine aliqua signatiõe; quod est verissimũ. Temporibus enim Caij Plinij, nimirum sub Vespasiano, nullos omnino maior pars gentium hominúmq;, etiam qui degebant sub imperio Romano, annulos habebat: non signabat tunc Oriens aut Ægyptus, literis contenta solis, vt scribit idem Plinius Nat. hist. li. xxxiij. cap. i. Quia igitur etiam Alexandri temporibus, quibus noster floruit Venuleius, passim signandi ratio non ita vigebat: idcirco magistratus cuiusque loci præbere se, & alios testari volentibus testes vel signatores debuisse contendit Venuleius: Testes quidem ijs in locis in quibus signatores erant incogniti; signatores verò, vbi in vsu signandi vigebat ratio. Et hanc esse puto vt nouam sic veram huius responsi perdifficilis sententiam.

Explicatur cap. viij. De public. & vectig.

CAPVT II.

SI vnus ex pluribus heredibus, inquit Papinianus, rem munẽ caussa vectigalis surripiat, portiones ceteris non auferuntur. d. cap. viij. Hæc est Florentina lectio. Passim pro *munem* in editionibus pandectarum vulgaribus *communem* legitur: eámq; lectionem probant interpretes: ego Florentinam puto veriorem esse. Dubium nõ est quin res immunes, liberas & ab omni onere obligationeque vacuas appellauerint veteres. Idque ex Saluiano satis potest intelligi, qui sic de prouidẽtia dei lib. iiij. scribit: Ecce enim remedia pridem nonnullis vrbibus data quid aliud egerunt quàm vt cunctos diuites immunes redderent, miserorum tributa cumularent; vt illis demerentur vectigalia, istis vt adderentur noua? Immunibus rebus res munes contrariæ sunt. Nam quum sic in Mercatore Plautus scriberet: *Dico eius pro meritis gratum me ac munem fore:* nónne idem est acsi dixisset, pro eius meritis illi me obligatum agnosco? Et sic etiam illud esse accipiendum puto, quod ita Lucilius apud Nonium scribit: *Munifici munésque amicis nostris videamur viri.* Quamuis sic locũ hunc interpretatus sit Nonius, vt per viros munes, consentientes viros ad ea quæ amici velint, intellexerit. Quamobrem quod de re caussa vectigalis muni scribit Papinianus, hoc rectissimè sic interpretabimur: Si vnus ex pluribus heredibus rem caussa vectigalis munem, hoc est rem vectigalis caussa fisco obligatam, surripiat; ideo portiones ceteris non auferri, quód dolus, fraus, & furtum vnius ex coheredibus redundare in aliorum coheredum perniciem ac detrimentum non sit æquum. Verùm surripientis portio non dubium est quin fisco applicetur. Atque ita quidem mihi videtur.

De geminatis præpositionibus quædam à nemine animaduersa.

CAPVT III.

Qui

QVI non animaduerterunt tam iurisconsultos quàm alios auctores interdum præpositiones geminasse, hi pro *In circum*, existimarunt *In circuitum*, reponendum esse apud Macrum, cap. xxxvij. de relig. & sumpt. fun. Ego didici ea forma & eadem planè ratione *In circum* scripsisse Macrum, qua alijs in locis *In super*, *In ante*, *ex ante*, *ad ex*, *ab vltra*, *ab ante*, *in coram*, *in palàm*, *ab vsque*, *ex vsque*, *in vsque*, scriptum inuenimus. Et idcirco sic Macrũ interpretari soleo, quasi ille *In circum* pro *circumquaque* posuerit. Eadem etiam forma dixit Papinianus, se propter publicam vtilitatem, ne insepulta cadauera iacerent, strictam rationem in super habere. cap. xliij. d. tit. defuncti vindictam in super habere. cap. xvij. de his quæ vt indig. Hoc est, eius quod superabundat loco reputare. Et quia id quod abundat, negligere plerunq; solemus, idcirco rectissimè Cuiacius *in super habere* positum pro *negligere* arbitratus est. Eoque sensu accipiendum est illud Gellij lib. i. cap. xix. Tarquinius ore iam serio atque attentiore animo fit, eam constantiam confidentiámque non in super habendam intelligit. Simili modo, in super fundum legare, eo sensu scripsisse videtur Scæuola, quo fundum præceptione heredi instituto legare dicimus. cap. xx. de inst. & instrument. legat. Siquidem id quod præcipuum heredi legatum est, idcirco in super legatum possit dici, quòd illud vltra portionem heredi-

hereditariam instituto heredi super & saluum sit. Proinde non rectè mihi visus est vir quidam ingeniosissimus hìc apud Scæuolam *Instructum*, pro *In super*, reposuisse. Et has quidẽ geminatas prepositiones *In super*, & dictiones huiusmodi, *In super habere*, separatas fuisse non cõiunctas, ex Q. Scęuola probari potest, quem Gellius li. iiii. Noct. Attic. cap. ii. ait sic scripsisse: Hęc ego cùm philosophiæ me dedissem, non in super tamen habui discere. Et Plautus in Mercatore idipsum etiam liquidò demonstrat, his verbis.

Neque quisquam hominem conspicatus est, donec in naui super.

Quo in loco *In naui super*, dixisse Plautum puto pro *In superiore nauis parte*. Nam qui in parte nauis superiore est, is & super & in naui est. Quibus etiam addi potest quod ita Symmachus Epist. lib. ii. scribit: Hęc me atque alia huiusmodi perpulerunt, scribendi munus in super non habere. Similis est illa præpositionum geminatarum ratio, qua in pandectis Vlpianus, & ad Atticum lib. ij. vsus est Cicero. Sic enim apud Vlpianum legimus: Veniam in ante actum dedit. cap. i. in princ. de fugitiuis. Et Cicero, Comitia, inquit, Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem xv. kal. Non. distulit. Et lib. iij: De Quincto fratre nuntij nobis tristes nec varij venerunt, ex ante diem Non. Iunij vsque ad prid. kal. Sept. Idem Cicero Epist. fam. lib. viii. sic etiam scribit: Cùm magistratum inissent ad ex

kal.

kal. Mart. His adde Apuleij illud de Asino lib. x: Grandi præmio vilis acquiritur aliqua, sententia præsidis bestijs addicta, quæ mecum in coram publicam populi caueam frequentaret. Sic *In palam*, visus est etiam aduersus Constantium Augustum Hilarius scripsisse: Pugnaremus, inquit, in palàm, & cum fiducia, contra negantes, contra torquentes, contra iugulantes. Dixerunt etiã veteres *Ab ante*, & *Ab vltra*. In quodam enim epitaphio quod Romę in ędibus Mafeiorum extare dicitur, sic legimus: ET ALIA TABER. AB VLTRA VIC. TRIAR. Et in epitaphio An. Crestinæ: NE QVIS NOS INQVIETET EX ARCA NOSTRA, NEQVE AB ANTE ALIAM PONAT, AVT COMMVTET. Hęc qui non considerauerunt, intellexisse non videntur quo sensu sic in Eunucho scripserit Terentius: *Ex Æthiopia est vsque hæc*. Nec aliò referendum est, quod hunc in modum ad Scapulam Tertullianus scribit: Sed ijdem ipsi, qui per genios eorũ in pridie vsque iurauerant. Addatur & illud Taciti Annalium lib. xv: Volucres & feras diuersis è terris, & animalia maris Oceano ab vsque petiuerat. Huic etiam consentaneum est quod sic pro L. Flacco Cicero scribit: Qui hanc ipsam legationẽ quam habet, non accepit à suis ciuibus, sed ab vsque Tmolo petiuit. Vulgò legitur, *Sed vsque Tymolo petiuit*. HENRICVS autem Stephanus in veteri libro *Ab vsque* scriptum obseruauit. Nec dubito

bito quin ea sit germana lectio, præsertim quæ præpositionum antiqua & vsitata quadam geminatione mirum in modum confirmatur.

Verus intellectus Cap. j. De legat. j.

CAPVT IIII.

PER omnia, inquit Vlpianus, exæquata sunt legata fideicommissis, d. cap. j. Id qua ratione accipi debeat, viri docti non intelligunt. Et est sanè axioma falsissimum, nisi si ad locum ex quo desumptum est, illud referatur. Quia igitur ex libro Vlpiani ad edictum sexagesimo septimo illud axioma in tractatum legatorum transtulit Tribonianus, & quia in libris ad Sabinum plenissimè de legatis scripsit Vlpianus; videndum est quid idem Vlpianus in libro sexagesimo septimo ad edictum tractauerit. Certè quantum ex indice quem Labitti beneficio nacti sumus, discere potui, magnam illius libri partem in interdictis *Quod legatorum*, et *Quorum bonorum* interpretandis Vlpianum consumpsisse deprehendi. Quum igitur sic prætoris interdictum conceptum esset: *Quod legatorum nomine non ex voluntate heredis occupasti, id restituas heredi:* quúmque is qui occupauerat, non legatorum sed fideicommissorum nomine se occupasse contenderet, & idcirco interdictum *Quod legatorum* locum non habere; respondisse videtur Vlpianus,

nus, *Per omnia exæquata esse legata fideicommissis*: hoc est interdicto *Quod legatorum* sic legatorum appellatione fideicommissa contineri, vt quæ de legatis prætor interdixit, eadem quoque de fideicommissis esse interdicta censeantur. ea nisi fallor ratione, qua hereditatis appellatione bonorum quoque possessionem contineri scripsit Paulus cap. cxxxvii. de verb. signif. Illud sic quidem sic non accipere conuenit, vt verbo hereditatis bonorum possessio contineatur; verùm ita, vt quæ in lege Papia quam tunc quum hæc scriberet Paulus interpretabatur, de hereditate dicebantur, locum etiam aliquem in bonorum possessione obtinerent.

Emendatur & explicatur Callistrati locus, de magna capitis diminutione.

CAPVT V.

CONSVMITVR existimatio, inquit Callistratus, quoties magna capitis diminutio interuenit, id est, cùm libertas adimitur, veluti cùm aqua & igni interdicitur, quod in persona deportatorum euenit; vel cùm plebeius in opus metalli vel in metallũ datur. cap. v. de extrad. cognit. Quid sibi velit Callistratus libertatem deportatis adimens, non satis intelligunt viri docti. Si dixeris cum Callistrato deportatis non ciuitatem solùm sed libertatem etiam adimi, quid Paulo, quid Iustiniano respondebis, qui eam sic mediæ capitis diminutionis esse contendunt, vt per illam salua libertate, sola amitti ciuitas possit? §. j. Inst. de cap. dim. cap. v. in princ. cap. vlt. de cap. minut. Proinde sic docti quidam viri Callistratum interpretati sunt, quasi ille de libertate quæ iuris est Quiritium duntaxat senserit: vt sic contendisse videri possit Callistratus, adimi quidem libertatem deportatis, verùm eam tantùm quæ iuris est Quiritium; eam verò quæ iuris gentium est, non adimi. Quod in tantum ab intentione iurisconsulti videtur recedere, vt ne de huiusmodi libertatis distinctione vel somniarit quidem Callistratus. Nam si dixeris sic libertatem accepisse Callistratum, necessum erit vt mihi concedas (quod nunquam cõcessurus es) aliam quoque libertatem nullam adimi seruis pœnæ. Vnam enim libertatem ita interpretatus est Callistratus, vt illam eandem quam seruis pœnæ adimit, deportatis quoque adimere videatur. Dicam paucis quidnam de hoc Callistrati responso sentiam. Certè illud mendosum suspicor, & sic esse restituendum, vt pro *Veluti cùm*, legamus *Vel vtique cùm*, hunc in modum: *Consumitur existimatio quoties magna capitis diminutio interuenit, id est, cùm libertas adimitur, vel vtique cùm aqua & igni interdicitur, quod in persona deportatorum euenit: vel cùm plebeius in opus metalli vel in metallum datur.* Vt sit sensus, magnæ capitis diminutionis tres esse species; vnam qua libertas cum ciuitate omnino adimitur, quod accidit his qui se patiuntur aut ad actum gerendum

aut ad pretium participandum venundari: alteram qua aqua & igni interdicitur, hoc est salua libertate ciuitas amittitur: & tertiam denique, qua libertas quidem amittitur cum ciuitate, sed ad tempus; quod his accidit, qui serui pœnæ efficiuntur. cap. xxij. cum cap. seq. de pœnis. Sic enim capitis diminutiones partiti sunt veteres, vt alij tres earum species, maximam, mediam, & minimam; alij duas tantùm constituerent, magnam & minorem. cap. fi. de cap. minut. cap. i. §. si filius. de suis et legit. Et qui duas tantùm constituunt, sub magna mediam & maximam complectuntur, vt hîc apud Callistratum: sub minore verò solam minimam. Et ita quidem rectè pro *veluti cum*, mihi videor *vel vti que cum* reposuisse. Nam cùm veterum more sic scriptum esset *vtiq.* pro *utique*, deleta tandem postrema littera q, pro *vel utique*, librarij legisse videntur *veluti*. Sanè Accursius pro *veluti* testatur legi *vel* in nonnullis antiquis exemplaribus.

Explicatur cap. xxxix. D. De iniurijs.

CAPVT VI.

AIT Venuleius: Vestem sordidam rei nomine in publico habere, capillúmue submittere nulli licet, nisi ita coniunctus affinitate vt inuitus in reum testimonium dicere cogi non possit. d. cap. xxxix. Videtur ad eum morem respexisse Venuleius, quo non reos duntaxat

duntaxat sed etiam adfines, cognatos, libertos eorum & familiares omnes vestem mutare, capillúmque submittere consueuisse, præter Liuium tastatus est Plinius Epist. lib. vij. Postquam enim exposuisset Plinius, suum libertum cum minore fratre in eodem lecto quiescentem, sibi visum esse quendam in toro residentem cernere, admouétémque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos, hæc verba subiecit: Nihil notabile secutum, nisi quòd non fui reus; futurus, si Domitianus sub quo hæc acciderunt, vixisset. Nam in scrinio eius datus à Caro de me libellus inuentus est. Ex quo coniectari potest quia reis moris est submittere capillum, reciscos meorum capillos depulsi quod imminebat periculi signum fuisse. Hæc Plinius. Liuius lib. vi. sic de Manlio scribit: Coniecto in carcerem Manlio, satis constat magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse, obuersatámque vestibulo carceris mœstam turbam. Et paulo pòst: Approbantibus cunctis diem Manlio dicunt. Quod vbi factum est, primò commota plebs est, vtique postquam sordidatum reum viderunt, nec cum eo nō modò patrum quenquam, sed ne cognatos quidem aut affines, postremò ne fratres quidem A. & T. Manlios, quod ad eum diem nunquam vsu venisset, vt in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent. Appio

Claudio in vincula ducto C. Claudium inimicum Claudiāque omnem gentem sordidatam fuisse. Eoque non dubium est quin respexerit Prudentius contra Symmachum li.j.his versib.

Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis.

Eoque sensu accipiendum est, quod de veste squalida, deque barba demittenda submittendisque capillis Vlpianus scribit cap.xv.§.xxj.de iniur. Huius etiā moris visus est A.Gellius meminisse, sic de P. Scipione lib. iij. cap. iiij. scribens: Eúmque cùm esset reus neque non candida veste vti, neque fuisse cultu solito reorum. Porrò quam Venuleius vestem sordidam, eam Valerius vestem appellat obsoletam. Sic enim de P.Rutilio scribit li.vj.ca.iiij. Huic voci consentanea illa opera, quòd magis ordinū dissensione quàm vlla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit. Et ex his quidem locis omnibus satis nunc arbitror intelligi, quidnam sibi voluerit Venuleius. nimirum cuiuis nō esse permittendum rei nomine sordidam siue obsoletam vestem in publico habere, capillúmue submittere, nisi cognatis tantùm & affinibus, ijsque proximioribus: cùm id antea libertis & cuiuis ex populo sine fraude liceret: quemadmodum ex Plinio & Liuio satis est iam probatum.

Elegans

Elegans pandectarum Florentinarum lectio defenditur, in cap. ix. De dolo malo.

CAPVT VII.

NON intelligunt interpretes quid sibi voluerit Vlpianus cùm ita scriberet: Etsi seruum pignoratum noxæ mihi dederis per iudicem, & it absolutus, de dolo teneris si apparuerit eum pignori datum. d. cap. ix. §. iij. Haloander pro *et it absolutus*, reposuisse visus est *Et per iudicem sis absolutus*. Taurellus autem sic legit, *Et it Absolutus*, quod idem est acsi dicas, *Et ita absolutus*, coalescente videlicet in vnum extrema antecedentis & prima sequentis dictionis littera, quod in Florentinis pandectis frequenter accidit. Aliquibus emendationibus lectionem puto Florentinam multò sinceriorem esse, qua non *Ita absolutus*, non *sis absolutus*, sed *it absolutus*, expresè continetur, & ad seruum ipsum vocem *Absolutus* referēdam esse. Non enim dubito quin eadē ratione serui olim absoluti, ire iussi fuerint, qua condemnati iussu prætoris vel iudicis ducebantur. Sed etsi seruum ex caussa noxali patiatur duci, inquit Paulus, defendere videtur. cap. xxxvi. de procurat. Itaque seruus qui condemnatur, duci; qui absoluitur, ire iubetur. Et id quidem duabus fieri rationibus solet, aut per iudicem, aut iussu prætoris. Per iudicem, accepto, constituto, cōtestatoque iudicio. cap. viij. in princ. de leg. iij. cap.

xxviij.in fi.de lib.leg.cap. xvi.Iud. ſolui. Iuſſu prætoris,ante litis cõteſtationem. Per iudicem, cauſſa cognita : iuſſu prætoris , etiam incognita cauſſa. Si ſeruus præſens eſt,inquit Paulus, do minus abeſt,nec quiſquam ſeruum defendit,du cendus erit iuſſu pretoris,ſed cauſſa cognita do mino poſtea dabitur defenſio.cap. ij.§.fi. Si ex nox.cauſſa. Quod autem per iudicem fit, illud conſtituto duntaxat iudicio , cauſſaque cognita fieri conſueuiſſe , docet pro Roſcio Comœdo eleganter Cicero. Pecunia,inquit,tibi debebatur certa,quæ nunc petitur per iudicem , in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt. Eoque ſenſu accipiendum eſt illud Plinij Epiſt.lib.vij. Si tamen alteram litem per iudicem, alteram, vt ais, ipſe finieris ; incipies primùm iſtic otio frui. Hoc eſt,ſi alteram litem per iudicem,alteram ſine vllo iudice finieris. Hæc enim duo *Per iudicem,* & *ſine iudice* prorſus contraria ſunt.cap.viij. §.1.ca. xiij. & ca.xxij.§.i.Rem ratam hab.ca.penult.Ad l. Iul . de vi priuata. Et idcirco quod Vlpianus de pignorato ſeruo noxæ per iudicem dato ſcribit, hoc ſic eſſe intelligendum videtur. Si ſeruum pignoratum,qui te ſciente nec impediente damnum dederat,noxali iudicio prouocatus,mihi noxæ dare potius quàm litis æſtimationem pati malueris; et is ſeruus idcirco iuſſus ire, hoc eſt abſolutus fuerit, quòd eſſe tibi pignori datus diceretur : ſimul atq; tibi ſeruũ pignori datũ eſſe apparuit,factus actioni de dolo obnoxius es.nimirum quòd alienũ ſeruum velut proprium noxæ dans , propriæ litis æſtimationem effugere volueris dolo malo : eaque de dolo actione noxalem litis æſtimationem à te conſequar . capite i. de noxalibus actionibus. Quo ſenſu hęc eadem de dolo actio etiam noxalis appellatur,d.§.iij. Nec eſt quòd quis obijciat eum qui ſeruum pignori accepit, actione noxali non teneri.cap. xxij. §.i. de noxalib.act. Illud enim de eo eſt accipiendum , qui ignorans damnum fieri , noxali iudicio prouocatus, alienum ſeruum aut noxæ dedere aut eius nomine aliquam litis æſtimationem pati non cogitur. Ceterùm ſi eo ſciente & non impediente,damnum à pignorato ſeruo datum ſit ; quominus in ſolidum qui ſeruum accepit pignori rectè conueniatur , profectò nihil eſſe in cauſſa videtur.cap.ij.in princ. de nox.act.

Potuerit ne heres quòd furtum antea factum eſſet,rectè furti agere.

CAP. VIII.

HEREDEM,inquit Vlpianus, furti agere poſſe , æquè conſtat . Executio enim quorundam delictorum heredibus data eſt.cap.i.de priuat. delict. An autem diu ante Vlpiani tempora iſtud conſtiterit, hoc eſt vſu receptum fuerit , incertum eſt. Quanquam Ciceronis tempore inter alias controuerſi dubijque iuris clauſulas et hãc quoque relatam fuiſſe

dubium non sit. Sic enim ad Trebatium scribit Cicero Epist. fa.lib.vij. Illuseras heri inter scyphos quòd dixeram controuersiam esse, posset-ne heres quòd furtum antea factum esset, rectè furti agere. Itaq; etsi domum bene potus seróque redieram, tamen id caput vbi hæc controuersia est notaui, & descriptum tibi misi, vt scires, id quod tu neminem sensisse dicebas, S. Ælium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scæuolæ & Testæ assentior. Hæc Cicero. Velim profectò quid Ælius, Manilius, & Brutus contra Scæuolam Testámque senserint Cicero exposuisset. Suspicor eos existimasse heredem furti rectè agere, illudque Scæuolam & Testam negasse. Certè propter hæc Ciceronis verba, *Quod tu neminem sensisse aiebas.* Videtur enim Trebatius, an quòd furtum antea factum esset, rectè potuerit heres furti agere, interrogatus respondisse, id neminē sensisse: & ita cū Scæuola negasse heredem rectè furti agere. Quæ tamen sentētia Vlpiani tempore non erat in vsu.

Emendatur cap. xvij. C. De solut.

CAPVT IX.

HABEBANT veteres suas accepti & expensi tabulas, in quarum vna parte notari expensa solent, & in altera continebatur acceptorum ratio. De quibus tabulis scribit ad hunc modum Seneca de benef. lib. iiij. Apud me istæ expensorum acceptorúmque rationes

tiones dispunguntur. Ego quid cui debeam scio; alijs post lōgam diem repono, alijs in antecessum, aut prout occasio, & rei priuatæ meæ facultas tulit. Si rationes expensi cum accepti rationibus quadrarent & pares essent, tunc pariari & paria fieri dicebāt veteres. cap. xl. de statu-lib. cap. v. §. x. de iur. im. cap. iiij. §. i. de manumiss. Seneca Epist. lib. xvij. Quotidie cum vita paria faciamus. Eoque arbitror respexisse Terentium, quum sic in Phormione Dauum loquentem faceret:

Lectum est, conueniet numerus quantum debui.

Sensus enim est: Legi meas accepti tabulas, & cum ijs nummorum hic numerus æqualem parémque faciet expensi rationem tuam. Hinc etiā intelligimus, si pariare nihil aliud sit quàm paria facere, hoc est parem cum tabulis expensi, sui creditoris accepti rationem reddere; consequi rectè videri, tunc etiam dici posse obligationem pariatam, cùm satis abundè creditori factum est. cap. lxvij. §. v. de condict. indeb. Idque etiam ex Seneca probatur, qui sic lib. xi. epist. scribit: An is qui profuit nobis si postea nocuit paria fecerit & nos debito soluerit? Igitur solutione pariatur obligatio. Et hoc nimirum illud est, quod Diocletianus & Maximianus imperatores hunc in modum Cassio scribunt: Manifesti iuris est, tam alio pro debitore soluente, quàm rebus pro numerata pecunia cōsentiente creditore datis, tolli pariatam obligationem.

cap. xvij. C. de solut. Quo in loco malè passim *paratam* legitur, pro *pariatam*. Et hæc quidem cùm non considerarent audaculi quidam, *Compa-ratam* pro *paratam* visi sunt reponere voluisse. Tertullianus verborum iuris admodum studiosus, pariandi verbo etiam interdum vsus est. Sic enim lib. iiij. aduersus Marcionem scribit: Si nec in alium spectant, quàm cui per omnia pariauerint. Et lib. v. Non rapinam, inquit, existimauit pariari deo. Sic nempe vertit illud diui Pauli ad Philippenses capite ij. οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ: quod alij reddunt, Æqualem esse deo.

De nominibus Antoninorum, & veris eorum differentijs.

CAPVT X.

ANTONINVS à senatu Pius est cognominatus, inquit Iulius Capitolinus, vel quòd socerum fessa iam ætate manu præsente senatu leuauerit, vel quòd eos quos per malam valetudinem Hadrianus occidi iusserat, reseruauit. Hic quum annos viginti quatuor imperasset, morbo perijt, anno ætatis suæ septuagesimo, & quasi adolescens desideratus est. Eiúsque singulari virtute & incredibili quadam pietate factum est, vt ad quamplurimos imperij successores, nullo licet sanguinis vinculo iunctos, nomen Antonini velut hereditarium

ditarium transiret. Quo nomine etiam imperatores quosdam prænominis cognominísque loco vsos esse ex diuersis antiquitatum monumentis constat. Siquidem post obitum Antonini Pij fuisse nomen Antoninorum tam amabile testis est Ælius Lampridius, vt qui eo nomine non vteretur, mereri non videretur imperium. Vnde etiam nonnulli & Seuerum, & Pertinacem, & Iulianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant. Vnde postea duos Gordianos patrem & filium, Antoninos etiam cognominatos falsò traditum est. Non enim Antonini, sed Antonij, vt ex numismatibus constat, dicebantur Gordiani. Sed aliud est, inquit Lampridius, quum prænomen adsciscitur, aliud quum ipsum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen Antonini habuit cognomen Pij. Marcus verum nomen Verissimi habuit; sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini sed nomen accepit. Commodum autem Marcus Antoninum appellauit, atque ita in publicum edidit diem natalis sui. Iam Caracallam Bassianum, Antoninum appellatum satis constat, vel somnij caussa quod Seuerus viderat, quum sibi Antoninum successorem prædictum sensisset. Anno demum xiij. Antoninum dixit, quando ei imperatoriam dicitur addidisse potestatem. Hæc Lampridius adijciens insuper, Getam & Diadumenianum, Antoninos etiam appellatos fuisse. Videamus

de ijs

de ijs imperatoribus singulis qui nomen Antonini habuerunt. De alijs enim qui Antoninorum aut prænomine aut cognomine sunt appellati disserere, huius nec loci est nec instituti. Primum locum inter Antoninos omnes occupat Antoninus Pius: qui quum adhuc priuatus esset, Titus Aurelius Boionius Antoninus appellabatur. Adoptatus ab Hadriano imperatore, nomẽ patris adoptiui more maiorum assumpsit, & Titus Ælius Antoninus appellatus est. Post obitũ eiusdem patris appellari patris cognomine etiam voluit, & Titus Ælius Hadrianus Antoninus Pius dictus est. Idque ex antiquissimis æreis & argenteis quibusdam numismatibus quæ apud Laurinos inueniuntur, verissimum apparet. Ex quibus vnum vidi effigiem huius Antonini in vna parte cum hac inscriptione cõtinens: IMP. T. AELIVS CÆS. HADRIANVS ANTONINVS. Eiúsq; pars altera dextris duabus inter duas spicas caduceum comprimentibus imperij Antonini cõcordiam, pacem, & fertilitatem designabat, cum hac inscriptione: AVG. PIVS P. M. TR. P. COS. II. Hoc est, *Imperator Titus Ælius Cæsar Hadrianus Antoninus Augustus Pius pontifex maximus tribunitia potestate consul secundùm.* Hoc titulo vsus est Iustinus Martyr quum Antonino Pio pro Christianis librum offerret. In prudentum responsis interdum sed rarius imperatorem hunc appellatum esse Antoninum Pium obseruaui: sæpius

pius autem diuum Pium, & interdum Titum Antoninum. Et certè diui Pij tam frequens occurrit mentio, vt meritò exemplis abstinendum sit. Nec desunt auctoritates quibus confirmari potest hunc Antoninum interdum Titum Antoninum vocari. cap. xxxij. de adopt. cap. v. de his qui not. inf. ca. xlv. de minor. cap. v. vt legat. no. cap. xi. Ad municipal. Est etiam vbi diuus Titus; hic idem imperator appellatus inuenitur. cap. i. §. ij. de iure fisci. Et hic etiã ille Antoninus est, qui in rescriptis quibusdam cum diuo Hadriano patre suo iungitur. cap. i. §. iij. de quæst. cap. xxiiij. §. fi. de fideic. libert. Hic Antoninus ea conditione ab Hadriano fuerat adoptatus, vt sibi adoptaret Marcum Antoninum fratris vxoris suæ filium, & L. Verum, Ælij Veri qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium; qui postea Verus Antoninus est dictus, auctore Capitolino. Et hac quidem adoptione tandem euenit, vt defuncto Antonino Pio in imperium succederet M. Antoninus Philosophus. Et quia quum adoptatus esset Marcus ab Antonino Pio, tunc primùm, si Capitolino credimus, pro Annio Aurelius cœpit vocari; idcirco dubium non videtur quin sit emendanda capitis primi C. de petit. hered. hæc inscriptio: M. AELIVS ANTONINVS A. AVGVRINO PROCONSVLI AFRICAE. Certissimum enim est, legẽdum esse M. AVRELIVS ANTONINVS AVG. Marcum enim Antoninum Ælium vnquam

quam appellatum fuisse, nullis auctoribus idoneis euinci potest. Quod si me rogites, cur pro M. nō reponam T. vt sic legatur; TITVS ÆLIVS ANTONINVS, & ad diuum Pium haec constitutio referatur; dicam, quominus id fiat, expressa quædam ipsius constitutionis verba in caussa esse, quibus diuum Hadrianum eiusdem constitutionis auctor auum suum appellat. Quia igitur auum M. Antonini constat Hadrianum fuisse, quis quæso dubitabit, quin MARCVS AVRELIVS pro MARCVS ÆLIVS in hac epigraphe reponendum sit? Idque ex hac inscriptione redditur euidentissimum. S. P. Q. R. IMP. CÆS. DIVI ANTONINI F. DIVI VERI PARTH. MAX. FIL. DIVI HADRIANI NEP. DIVI TRAIANI PARTH. PRONEP. DIVI NERVÆ ABNEP. M. AVRELIO ANTONINO AVG. GERMAN. SARM. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. QVOD OMNES OMNIVM ANTE SE MAXIMORVM IMPERATORVM GLORIAS SVPERGRESSVS BELLICOSISSIMIS GENTIBVS DELETIS ATQVE SVBACTIS. In hac inscriptione pro *Diui Veri Parth. fil.* legendum est, *Diui Veri Parthici fratri*. Idque his verbis satis indicat Callistratus: *Diuus Marcus cum fratre suo pro sua humanitate hanc rem temperauit*. capite xxxi. de lege Cor. de falsi. M. Aurelius Antoninus Philosophus in prudentum

tum responsis vix alia, quàm diui Marci appellatione ab Antoninis reliquis discernitur. Et quia post excessum diui Pij à senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit, quem Lucium Aurelium Verum Commodum appellauit, idcirco nequaquam obscurum est hunc diuum Marcum eundem illum Antoninum esse qui cum Vero in iure ciuili plerunque citari solet, hunc in modum: *Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt*. Et hi quidem imperatores illi sunt, qui diui Fratres appellantur, & quibus imperantibus primùm duos Augustos Romanum imperium habere cœpit. Post Veri obitum quum solus aliquandiu M. Antoninus rempublicam tenuisset, filium suum Commodum Antoninum imperij consortem fecit. Idque ex Papiniano, Macro, alijsq; iurisconsultis probari euidentissimè potest. Sic enim legimus apud Papinianum: *Imperator Marcus Antoninus & Commodus filius rescripserunt*. capite xxxviij. §. iiij. Ad Legem Iul. de adult. Et apud Macrum: *Diuus Marcus & Commodus rescripserunt*. capite xxxij. dict. titul. Tandem mortuo patre solus imperauit Commodus Antoninus. Hic in antiquis nummorum ac marmorum inscriptionibus Marcus Commodus Antoninus, & quandoque Lucius Aelius Aurelius Commodus Antoninus appellatus fuisse videtur. Eúmque non Antoninum

ninum sed aut imperatorem Commodum, aut diuum Commodum in responsis suis fere semper appellant iurisconsulti. Nepesinę hanc olim inscriptionem extitisse testatur Petrus Appianus: L. AVRELIO COMMODO VICTORI IVVENES NEPESINI DIANENSES AERE CONLATO. Auctor est idem Appianus, in castro sancti Angeli hanc quoque inscriptionem reperiri: IMP. CAESARI D. MARCI ANTONINI PII GERMANICI PARTH. FILIO, DIVI PII NEPOTI, DIVI HADRIANI PRONEPOTI, DIVI TRAIANI PARTHICI ABNEPOTI, DIVI NERVAE ADNEPOTI, L. AELIO AVRELIO COMMODO AVG. SARMATICO GERM. MAX. BRITANNICO, PONTIF. MAX. TRIB. POT. XXVIII. IMP. VIII. COS. VII. PATRI PATRIAE. Post hunc factus est imperator P. Heluius Pertinax. Eiúsque vnica dumtaxat in vniuerso Iustiniani Cæsaris Codice inuenitur constitutio, quæ sic mendosè inscripta est: IMP. AELIVS PERTINAX AVG. ATILIO. Legendum enim esse, IMP. HELVIVS PERTINAX, ex quibusdam antiquis numismatibus constat, in quibus non Ælium sed Heluium appellatum esse hunc Pertinacem euidenter expressum est hunc in modum: IMP. CÆSAR P. HELV. PERTINAX AVG. Item: IMP. C. P. HELVIVS PERTINAX AVG. Et quem Latini Heluium, eum Græci ἥλοδιον appel-

appellant. Idque ex alio quodam nummo Græco satis intelligi potest, cuius inscriptio talis est, ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΠΟΥΒ. ΗΛΟΥΙΟΣ ΠΕΡΤΙΝΑΞ ΣΕΒ. Huius Pertinacis meminit etiam Callistratus, eum non Ælium sed Eluium in pandectis Florentinis rectè appellans. Demonstratur variè, inquit, nec abscisè numerum liberorum ad excusationem municipalium munerum prodesse ex rescriptis diui Eluij Pertinacis. cap. ii. §. ii. de iure immunit. Imperator P. Heluius Pertinax, mensibus vixdum in imperio sex absolutis, ab auaris quibusdam prætorianis interfectus, Seuerum militum suffragijs successorem habuit. Hic Seuerus filium suum Bassianum Caracallam imperij consortem fecit, & M. Seuerum Antoninum, inquit Herodianus, appellauit. Locus hic Herodiani mendosus est, si modò auctor ipse non errauerit. In eo enim pro Seuero reponendus est Aurelius. Imperatorem enim Seuerum filium suum non M. Seuerum, sed Marcum Aurelium Antoninum appellasse, ex infinitis marmorum numismatúmque monumentis est manifestus quàm vt doceri exemplis necessum sit. Ait etiam Spartianus idcirco imperatorem Seuerum filium suum M. Aurelium Antoninum appellari voluisse, vt ille hoc medio in M. Antonini familiam transiret. Idque nec Ausonius quidem visus est ignorasse, sic de Caracalla scribens:

Dissimilis virtute patri, & multò magis illi
Cuius adoptiuo nomine te perhibes.

Hi sunt imperatores illi qui sic coniungi solent: *Imperatores Seuerus & Antoninus rescripserunt.* Et rectè quidem est à viro clarissimo Antonio Augustino reprehensus Galliæ suæ decus & ornamentum Gulielmus Budæus, qui M. Antoni ni fratrem non Verum duntaxat, sed & Seuerum & Commodum, & Antoninum appellari arbitratus est. Siquidem Seuerum Antonini Magni, hoc est Bassiani Caracallæ patrem, & Commodum M. Antonini fuisse filium dilucidè probatum est. Ad imperatorem Seuerum eiúsque filium M. Aurelium Antoninum hæc referēda sunt iurisconsultorum verba: *Imperator noster cum patre rescripsit,* cap. ix.§. ij. de iure dot.ca.vi. §.ij.de munerib.& honorib. *Rescripto imperatoris nostri & diui patris eius continetur,* cap. vi.§.ij.de pollicit. *Constitutum est ab imperatore nostro, & diuo Seuero,* capite xij. §. x. de capt. & postlim.reuers. *Diuus Magnus Antoninus cum patre rescripsit,* capite xi. §. iii. de muneribus & honoribus. capite quinto.de veteranis. *Rescriptum imperatoris Antonini & diui patris eius,* cap. ix. de captiuis & postl. reuers.. *Idque imperator Antoninus cum diuo patre significauit,* capite fin. de excusation. *Ex epistola imperatoris nostri & diui Seueri.*cap.vij. de suspect.tut. *Imperator Antoninus cum diuo Seuero,* cap.i.§.ii.de susp.tut. Hic idem Seuerus aliquando etiam Pertinax appellatus est,

est, quemadmodum ex eius numismate quodam intelligimus, cuius hæc est inscriptio: L. SEPT. SEVERVS PERTINAX AVG. P. M. TR. P. XI. Et idcirco ad diuum Seuerum eiúsque filium M. Aurelium Antoninum hæc Modestini verba esse referenda non dubitaui: *Diuus Antoninus & Pertinax rescripserunt,* cap.xii. de fideic. lib. Nunc admonendi sumus, qua ratione Caracalla ab Antoninis reliquis discerni appellatione potuerit. Et constat quidem diuersis, postquam relati inter diuos essent nominibus appellatos fuisse Antoninos. Sic nimirum vt Antoninus Pius, omnium Antoninorum princeps, diuus Pius vocaretur; M. Antoninus Philosophus, diuus Marcus; Antoninus verò Commodus, diuus Commodus: Caracalla denique, diuus Antoninus. Hanc autem Antoninorum diuersam appellationem diligenter obseruasse visi sunt iurisconsulti, ne qua ex promiscua Antoninorum appellatione confusio suboriretur. Vocatur etiam Caracalla nōnunquam imperator Antoninus Augustus: capite fin. de senat. capit. iiij. de off. proconss. capite iij. de tutelis. Interdum etiam magnus Antoninus: capite fin. de veteranis: capite fin.de public. & vectigalib. capite vltimo. C. Ad l. Iul. maiest. In Vlpiani responsis sic fere semper appellari solet: *Antoninus Augustus noster,* capite xlij. de fideic. lib. capite .i. Ad S. C. Orfit. *Imperator noster.* & sic deinceps. Ad

Caracallam etiam referenda sunt hæc Mæciani verba: *Antoninus Augustus Pius noster*, ca. xlij: de fideic. lib. quæ verba malè à quibusdam ad Antoninum Pium trahũtur. Hoc enim cognomen Caracallæ à senatu idcirco delatum est, quòd eos quos iniustè occidi iusserat, postea dimitteret. Et ita plerique sentiunt, à quibus dissentire non est religio. Proinde rectius opinor dici posse, hoc cognomẽ *Pius* huic Antonino fuisse cum posteris maioribúsq; suis (hoc est, patre et auo) semper familiare. Idque hæc inscriptio manifestũ facit: IMP. CAESAR DIVI ANTONINI MAGNI PII F. DIVI SEVERI PII NEPOS M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER PIVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. P. P. RESTITVIT. Et in antiquis nummis sic appellatum Caracallam inuenio: M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS AVG. BRIT. Ceterùm occiso Caracalla Macrinus percussor eius imperium adeptus filium suum Cæsarem fecit. Hic Macrinus nõ rectè Opilius appellatur. Eũ enim Opelium fuisse nominatum testãtur numismata, in quibus sic de Macrino legimus. M. OPEL. SEVER. MACRINVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. COS. P. P. Filium etiam Macrini malè Diadumenum vocari ex hoc numismate constat: M. OPEL. ANTONINVS DIADVMENIANVS. Superato tãdem Opelio Macrino, & à Varij Elagabali militibus vnà cum

cum filio Diadumeniano interempto, in ipsum Elagabalum collatum est imperium. Quodnam verum fuerit matris Elagabali nomen ignorant plurimi. Ex numismatibus, quorum mihi copiam Hubertus Goltzius fecit, Soęmiam fuisse appellatam Elagabali matrem euidentissimè deprehendi. Sic enim in ijs scriptum inueni: IVLIA SOAEMIAS AVGVSTA. Et hic quidem Elagabalus imperator salutatus, Antonini etiam nomen sibi consensu senatus asciuit, vel in argumentũ generis, vel quòd id nomẽ vsque adeo charum esse cognouerat gẽtibus, vt etiam paricida Bassianus causa nominis amaretur. Esse autem hunc imperatorem non Heliogabalum sed Elagabalum apellatũ, ex fide antiquorum numismatum cõstat. Nummum enim vidi, qui ab vna parte veram Antonini Elagabali exhibebat imaginem, cum hac inscriptione: IMP. ANTONINVS PIVS AVG. Altera parte eiusdem imperatoris effigies exprimebatur, habitu sacerdotis veste induti barbara, quali vsos esse Syros sacerdotes Dio scribit. Ea sic erat composita vt quum esset accincta corpori sacerdotis medio, & ad talos vsque demissa, non impediret quominus omnium conspectui tibiæ, pectus, & brachia sacerdotis nuda exponerentur. Sacerdos dextra patellam libatoriam supra foculum, sinistra verò nescio quid à palmarum stolonibus non longè diuersum tenebat, cum hac inscriptione: SACERDOS DEISO.

LIS ELAGAB. Posteriorem hanc nummi partem, quam Huberti Goltzij beneficio nactus sum, vt huic capiti delineatam insererem, auctor fuit vir doctissimus mihiq; amicissimus Guido Laurinus: eámq; sic interpretatus est, vt mihi planè persuaserit, ELAGAB integram esse dictionem, barbaram tamen, neque legendũ esse SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALI. Idem Laurinus vidẽdum esse rectè monuit, an non apud Macrobiũ in eo loco error sit, in quo de varijs solis nominibus disseritur, Sat. lib. i. cap. xxiii. Accipe, inquit Macrobius, quid Assyrij de solis potentia opinentur. Deo enim, quem summum maximúmque venerantur, ADAD nomẽ dederunt. Videndum inquam monuit Laurinus, an non rectius legeretur AGAB, pro ADAD. Cetervm qui Antoninum hunc Heliogabalum vocant, eo defendi videntur, quòd Græci ἥλιον solem appellarent. Sed errant. Non enim ab hoc nomine Græco, sed ab Elagab, quod deum solem Hebræis sonat, Elagabalus dictus est. Et hæc quidem hactenus de nominibus Antoninorum. In quibus explicandis si quid obseruatione curiosa sim consecutus, id magna ex parte eruditissimo clarissimoque Guidoni Laurino lubens acceptum refero.



De ijs

De ijs qui quæstus caussa in certamen descendunt, & propter præmium in scenam prodeunt.

CAPVT XI.

AIT Vlpianus: Eos qui quæstus caussa in certamen descendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse, Pegasus & Nerua filius responderunt. capite ij. in fine. de his qui notant. infam. In scenam prodire solent cum suis scenicis editores, eámque quam à Poëta redemerant comœdiam aut tragœdiã, sine aliquo præmio exhiberi per scenicos curabant populo. Scenicos autem operas suas editoribus certo statutóque præmio locare cõsueuisse, testatur Capitolinus, sic de M. Antonino Philosopho scribens: Temperauit etiam scenicas donationes, iubens vt quinos aureos scenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decẽ aureos egrederetur. Et idcirco quod de ijs scribit Vlpianus, qui propter præmium in scenam prodeunt, hoc ad scenicos solos, non autem ad ipsos editores referendum videtur. Errant etiam qui hæc inscriptionum Terentij comœdijs præpositarum verba de scenicis accipiẽda putant; EGERVNT L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATILIVS PRÆNESTINVS. EGIT AMBIVIVS TVRPIO. EGERE L. ATILIVS PRÆNESTINVS, MINVTIVS PROTIMVS. Hæc enim verba de solis

editoribus accipi debere, vel hinc potest intelligi, quòd nulla vnquā comœdia personis duabus fuerit exhibita : qua in re lapsus est Ælius Donatus. Egerunt igitur, hoc est agi fecerunt, vel sumptibus suis ediderunt L. Atilius Prænestinus & L. Ambiuius Turpio. Et hæc de scenicis. Agonistis autem & gladiatoribus solent etiam certa præmia designari. De quibus aduersus Gnosticos sic disserit Tertullianus : *Sed quantum illi & cruores & vibices negotiantur intendis; coronas scilicet, & gloriam, & dotes, priuilegia publica, stipendia ciuica, imaginem, statuas, & qualem potest præstare sęculum de fama ęternitatem, de memoria resurrectionem.* Et hæc erant prędmia quæ liberis hominibus dabantur. Idem Tertullianus in libro de spectaculis, qualia gladiatoribus seruis dari præmia consueuerint, explicat eleganter his verbis: *Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat. Igitur propter præmium in certamen, non autem in scenam prodiri sine infamia solet. Eaque mihi ratio videtur cur non ita scripserit Vlpianus: Eos qui præmij caussa in certamen descendunt:* sed ita potius: *Eos qui quæstus caussa*; hoc est, qui operas suas locarunt. Et idcirco quum Ciceroni à quodam quæstore, homine impio ac nefario, cui nomen Balbus erat, gladiatorem quendam in ludo defossum & viuum cōbustum fuisse scriberet Asinius Pollio,

vt scelus

vt scelus exaggeraret, eundem gladiatorem adiecit bis gratis depugnasse. Fadium, inquit Pollio, quendam militem Pompeianū, quia quum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctore se nolebat, & ad populum confugerat, primùm Gallos equites immisit in populum (coniecti enim sunt lapides in eum cùm arriperetur Fadius) deinde abstractum defodit in ludo, & viuum combussit. Epistolam hanc apud Ciceronem inuenies Epist. fam. lib. x. Nunc videndum est, cur is qui suas in artem scenicam locauit operas, neque in scenam prodijt, effugiat infamię notam; quum is qui operas suas vt cum bestijs depugnaret, locauit, etiam si non pugnauerit, nihilominus tamen infamis fiat. cap. iij. de his qui not. inf. cap. j. §. v. de postul. Et suspicor quidem diuersitatis hāc reddi rationem posse, vt dicamus in arte ludicra factum ipsum ad infamiam requiri, non etiam propositum: in eo autem qui pugnat cum bestijs, non tam factum quàm propositum. Cum bestijs enim pugnant imperatores & milites, suæ virtutis specimē præbentes. Proinde qui quæstus non virtutis caussa vitam suam prostituit, & in summum discrimen adducit, quamuis cum bestijs non pugnauerit, nihilominus ob propositum turpe infamis efficitur. Et ita huic quæstioni apud Photium satisfecit Theodorus Balsamon, meo quidem iudicio rectissimé.

De custodia reorum.

CAPVT XII.

CVSTODIA reorum alia publica est, alia militaris, alia libera, alia fideiussoribus commissa. Publica custodia carcer publicus est. Militaris, cum reus militi custodiendus traditur. De custodia fideiussoribus commissa, sic scribit Symmachus Epist. lib. i. Statui vt Felix vadibus qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur. Ceterùm libera tunc appellari custodia solet, quum præses aut proconsul in prouincijs, vel consul Romæ sibi, aut alicui magistratui, senatoríue reum committit. Id enim fieri solere, docet eleganter Tacitus Annal. lib. v. Et quia incusabatur, inquit, facilè toleraturus exilium, delecta Lesbo insula nobili, & amœna, retrahitur in vrbem, custodítúrque domibus magistratuum. Eoque pertinet quod in Cõiurat. Catil. sic scribit Salustius: Senatus decreuit vti abdicato magistratu Lentulus itémque ceteri in liberis custodijs haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Ceparius (nam & is paulò ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur. Nec aliò respexisse visus est Sidonius Apollinaris, Epist. lib. i. de quodam Aruando ad hunc modum scribens: In Capitolio custodiebatur á Flauio Asellio

Asellio hospite, comite sacrarum largitionum, qui adhuc in eo semifumantem præfecturæ nuper extortæ dignitatem venerabatur. Et hoc nimirum illud est, quod sic Vlpianus scribit: De custodia reorum proconsul æstimare solet, vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi. cap. i. de cust. reor. Ceterùm hanc custodiarum diuersitatem ante reorum confessionem obseruari duntaxat consueuisse, ex Venuleio Saturnino constat, qui reum confessum donec de eo pronuntietur in vincula publica conijciendum esse, libro secundo, de publicis iudicijs testatus est. capit. v. d. tit. Auctor est etiam expresè Scæuola, reum cõfessum, ob solam confessionem conijci in vincula consueuisse, cap. iiij. circa finem, Ad l. Iul. maiest. Igitur ante confessionem æstimare proconsul solet, an militi, fideiussoribus, vel sibi committenda reatus tempore persona sit. Post confessionem verò huiusmodi nullus est deliberationi locus, etiamsi publica, quæ in reatu est, persona fuerit. Idque dilucidè satis demonstrat Apollinaris, qui de eodem illo Aruando, quem in Capitolio ante confessionem Flauio Asellio custodiendum fuisse traditum dixerat, confesso hunc in modum scribit: Confestim priuilegijs geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauctoratus, & plebeiæ non additus

sed

sed redditus, publico carceri adiudicatus est. Huic planè consentaneum est quod scripsit Hexameron libro tertio diuus Ambrosius, præconum clamore, clarum honoribus, ac potestatibus præminẽtem virũ in carcerem rapi. Verba eius hæc sunt: Est etiam qui dudum vbertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitans singulorum, clarus honoribus, præminẽs potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum præconum clamore deducitur, subita conuersione in eum carcerem rapitur, quo alios ipse detruserat, & inter reos suos imminentis pœnæ deflet ærumnam. Porrò in nonnullis prouincijs fuisse morem vt per publicos seruos rei custodirentur, auctor est imperator Traianus, qui sic Plinio scribit: Perseueremus in ea consuetudine quæ isti prouinciæ est, vt per publicos seruos custodiantur.

Defenditur lectio Florentina de fusionibus fisco præstandis.

CAPVT XIII.

AIT Vlpianus: Solent & fisco fusiones præstare. cap. xxvij. §. iij. de vsuf. Hæc verba nemo est qui non iudicet mẽdosa esse in Florentinis pandectis, rectiúsque legi in editionibus alijs *functiones*. Quibus vt non assentiar, in causa est diuus Ambrosius, qui sic in Apologia Dauidis cap. viij. scribit: Et in lege habes, quia

quia Iubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur Hebræorum libertates, possessionum refusiones. Hæc Ambrosius. Non enim dubito quin fusiones eo sensu acceperit Vlpianus, quo in hoc loco de possessionum refusionibus scripsit diuus Ambrosius. Eásque arbitror alio nomine intributiones nominari. cap. xxij. §. ij. Ad municipal. Et pro indictionibus interdum fusiones posuisse veteres, primus omnium animaduertit Iac. Cuiacius, ex cap. vi. C. Th. de indulgent. debit.

De plus petentibus.

CAPVT XIIII.

EOS qui plus petebant, olim caussa cecidisse nemo dubitat. §. si quis agẽs, Instit. de act. Id autem an duodecim tabulis contineatur, disputant plerique. Vt credam non duodecim tabulis sed prætoris edicto plus petendo causa veteres cecidisse, facit Seneca, qui de puerilibus sophismatibus disputans, sic scribit Epist. lib. vi. cap. xlix: Pudet dicere contra fortunam militaturis quę porrigant tela, quemadmodum illos subornent. Hac ad summum bonum itur, ad istud philosophiæ sunt nigræ, & turpes infamésq; ad album sedẽtibus exceptiones. Quid enim aliud agitis, quum eum quem interrogatis, sciẽtes in fraudem iuducitis, quàm vt formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum

dum illum prætor, sic hos philosophia in integrum restituit. Hæc Seneca. Ex hoc loco probari liquidò potest, fuisse in albo prætoris scriptum, vt is qui non quemadmodum oportet egisset, qualis est qui plus petit, caussa caderet. Exceptiones enim, quas ideo infames quòd captiosæ sint, appellat Seneca, huc referendas esse indicant dilucidè hæc subsequentia verba, *Quid enim aliud agitis?* Eoque etiam referri potest illud Plauti in Mostel.

———*Nihilo plus peto. TR.*

Velim hercle vt vno nummo plus petas.

Igitur edicto prætoris non lege duodecim tabularum; item exceptionis auxilio, non ipso iure plus petentes olim caussa, quasi non quemadmodum oportebat, agentes, videri possunt cecidisse. certè quia sic etiam auctor ad Herennium Rhetoricorum lib. primo scribit: Hæc partitio legitimæ constitutionis his de caussis rarò venit in iudicium, quòd in priuata actione exceptiones prætorię fiunt, & caussa cadit is qui non quemadmodum oportet egerit. Eoque referendum puto quod de creditore quodam Papinianus scribit, qui à debitore culpa sua caussa ceciderat. cap.xcv.§. ix.de solut. Hoc iure vsos esse Romanos Pauli temporibus, ipse Paulus satis indicat, Sent.lib.j.tit.x. & lib.ij.tit.v. Eodem tempore floruit Callistratus auctore Spartiano. Quamobrem mirari satis nequeo, qua ratione plus petentes aliquid sentire damni scripse-

scripserit Callistratus, quum certo certius sit, eo tempore vniuersam caussam, si in integrum restituendi non viderentur, plus petendo actores perdidisse. Dicam quod sentio. Testatur Tribonianus, ius istud antiquum Zenonis & Iustiniani constitutionibus coarctatum fuisse. d.§.si quis agens, in fine. Eoque referendum puto quod sic scribit Callistratus: Est autem interrogatio tunc necessaria, quum in personam sit actio, & ita si certum petetur: ne dum ignorat actor qua ex parte aduersarius defuncto heres extiterit, interdum plus petendo aliquid damni sentiat. cap.j.de interrogat. Non enim dubito quin sic scripserit Callistratus; *Interdum plus petendo caussa cadat.* Et pro *caussa cadat*, Tribonianus, *Aliquid damni sentiat*, idcirco visus est reposuisse, quòd ius illud quo plus petẽdo amitti caussa solebat, nonnihil mutatum esset Zenonis & Iustiniani constitutionibus.

Ad Ellipses substantiuorum animaduersio singularis.

CAPVT XV.

PRIMVS libri quinquagesimi Pandectarũ titulus sic inscribitur: AD MVNICIPALEM. Qui non animaduerterunt, figuris grammaticorum vsos plerunque iurisconsultos esse, hi quidnam sibi vellet hæc inscriptio non intellexerunt, eámque sic emendare conantur, *Ad municipales*. Sed frustra. ΕΛ-

ληνικῶς

ἐλληνικῶς enim *Ad municipalem* scriptum est pro eo quod est *ad legem municipalẽ:* cuius legis meminit Vlpianus cap. xxv. Ad municipal. Et sanè Ellipses huiusmodi substantiuorum, admodum veteribus familiares sunt. Quum enim sic scriberet in Mostel. Plautus: *Antiquum obtines hoc tuum, tardus vt sis:* & in Andria Terent. *Crito antiquum obtines*: admonuit Donatus id ἐλληνικῶς positum videri posse, quasi poëtæ subaudiri *morem* vel *ingenium* voluerint. Et hanc quidem Donati interpretationem probabilem esse ex eo constat, quòd sic in Hecyra scripserit Terent.

———*At tu Ecastor morem antiquum atque ingenium obtines.*

Huius etiam loci est illud eiusdem Terentij in Eunucho:

———*Non cognosco vestrum tam superbum.*

ἐλληνικῶς enim *animum, morem, ingenium,* aut *institutum* hîc subaudiri rectè censet idem Donatus. Eadem figura lex Iulia repetundarum nomen obtinet. De pecunijs enim repetundis, alijsque rebus vi, dolo, fraudibus, per Romanos magistratus socijs populi Romani ablatis huiusmodi lege sociali tractari solet. Nec etiam nouum est per *Duodecim* ἐλληνικῶς duodecim tabulas exaudiri. Discebamus pueri duodecim, inquit Cicero, vt carmen necessarium, quas iam nemo discit. Sic comes priuatarum nonnunquam is appellari solet, quem alij rerum priuatarũ comitem dicunt. Et quum de publicis iu-

de publicis iudicijs Martianus, Venuleius, Macer, Marcellus, & Mæcianus scriberent, libros se scribere Publicorum ἐλληνικῶς professi sunt. Quumque de veteribus tabernis scriberet in Curculione Plautus, vsus est hac eadem figura, his verbis:

Sub veteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt fœnore.

Denique inscriptio quædam apud Mazochium vetus extat, quæ sic habet: IN SECVNDO CONSVLATV REXIT DECVRIAS DVAS VIATORIA ET LICTORIA CONSVLARES. In hac inscriptione per viatoriam & lictoriam ἐλληνικῶς exaudiri comitiuam omnino suspicor. Et quia ex ijs qui exercitui præerãt, nonnullos insignibus consularibus vsos esse Vlpianus scribit cap. ij. in princ. de his qui not. inf. certè de huiusmodi præfectis hanc inscriptionem antiquam accipi posse fortassis non malè dixeris. Per viatoriam enim & lictoriam comitiuam, lictores & viatores præfecti alicuius comites, hoc est apparitores consulares, intelligi posse videntur.

De vigesima rerum venditarum locus pandectarum explicatur.

CAPVT XVI.

QVVM scriberet Martianus, non aliter testamẽto rei alicuius alienationem vetari posse, quàm si testatores certis personis consulentes eiusmodi volun-

tatẽ significarent, hæc verba subiecit: *Sed hæc neq; creditoribus neque fisco fraudi esse:* cap. cxiiij. §. xi. de legat. i. Quæ verba an de vicesima hereditatum debeant accipi, idcirco dubitari potest, quòd nihil prorsus in hac vicesima interlit fisci, posse vel non posse legatam rem alienari. Cuius tamen alia ratione plurimùm interest, eius rei quæ alienari potest, alienationem prohiberi. Solet enim vicesima rerum venditarum ad fiscum pertinere. Idque probari ex Plinio potest, qui sic lib. vij. Epist. scribit: Tu quidem honestissimè, quòd tam impensè & rogas & exigis, vt accipi iubeam à te pretium agrorum, non ex septingentis millibus, quanti illos à liberto meo; sed ex nongentis, quanti à publicanis partem vicesimam emisti. Et idcirco quæ creditoribus fraudi non sunt, ea nec per consequens fraudi esse fisco possunt. Earum enim rerum quas creditores distrahunt, partem vicesimam consequitur fiscus. De qua vicesima intelligi posse, nisi plurimùm fallor, hic Martiani locus omnino videtur.

Quæ dicatur arctior annona.

CAPVT XVII.

CENSORES, inquit Festus, dicti sunt, quòd rem suam quisque tanti solitus sit æstimare, quantũ illi censuerant. Auctor est etiã Suetonius, annonã macelli senatus arbitratu quotãnis tẽperari Tiberium voluisse. Liuius quoq; dispẽsationem annonę penes ędiles fuisse

fuisse ait. Sic enim lib. x. scribit: Caritas etiam annonę solicitam ciuitatem habuit: ventúmque ad inopiæ vltimum foret (vt scripsêre quibus ædilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet) ni eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione, præparando ac conuehendo frumento fuisset. Huic etiam consentaneum est quòd sic Plinius scribit lib. xiiii. cap. xiiij. P. Licinius Crassus, & L. Cæsar censores anno vrbis conditę DC.LXXV. edixerunt, ne quis vinum Græcum Aminæúmque octonis assibus æris singula quadrantalia venderet. Nec aliò referri potest quod ab eodem Plinio sic etiam lib. xiii. capite xiii. scriptum inuenimus: Factúmque iam Tiberio principe inopia chartæ, vt è senatu darentur arbitri dispensandi. Idem Plinius lib. xxxiii. cap. vii. auctor est, in vendendo minio pretium lege statutum fuisse, ne modum excederet lxx. in libras. Et sic quidem liberum olim fuisse non videtur res suas tanti negotiatoribus æstimare, quanti vellent, sed quantum magistratus censuerat: eaque censio, hoc est æstimatio, annona fori de ijs rebus dicebatur, quæ ad annonam pertinebant. Qua de re scribit eleganter apud Terentium Donatus explicans illud Daui in Phormione. *Scisti vti foro.* Secundùm illos negotiatores, inquit, qui ante locum commercij non prescribunt, quanti vendãt quæ aduehunt, sed secundùm annonam

fori quam deprehenderint, consilium de vendendis & non vendendis mercibus sumunt. In hoc loco pro *præscribũt*, malim legere *proscribũt*. Certè quia sic in Paneg. Plinius scribit: Circunfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium. Sensus igitur est, peregrinos mercatores quibus datum est ius commercij, non statim quum ad locum commercij ventum est, pretium aduectarum mercium in loco commercij proscribere, hoc est publicè legendum proponere; sed tandiu illud reticere donec annonam fori, hoc est, æstimationem magistratus probè cognitam haberent, tunc primùm de vendendis & nõ vendendis mercibus aduectis consilium sumpturi. Sic annonã visus est etiam Marcianus accepisse quum ita scriberet: Non debere cogi decuriones vilius præstare frumentum ciuibus suis quàm annona exigit diui Fratres rescripserunt, & alijs quoque constitutionibus principalibus id cautum est. cap. viii. ad municipal. Hinc etiam intelligimus quid sibi voluerit Hermogenianus, arctioris annonæ populi Romani, census fraudati, & falsæ monetæ criminis reos dominos detegere seruis permissum esse scribens, cap. liii. de iudic. cap. i. de l. Iul. de annona. Sensus enim est, negotiatorem annonam fori magistratus arbitratu temperatam, fraudantem, eam videlicet comprimendo, arctioris annonæ reum etiam à seruis proprijs argui posse. Sed apud quem magistratum? Certè aut

tè aut apud vrbi præfectum, qui curam habebat carnis, vt iusto pretio venderetur, cap. i. §. v. de offic. præf. vrb. aut apud præfectum annonæ, si is extra ordinem constitutus esset: cap. xiij. de accusat. aut denique apud ædiles. Sic enim scribit Apuleius, de asino lib. i. Nam & lixas, & virgas, & habitum prorsus magistratui congruentem in te video. Annonam curamus ait, & ædilem gerimus, & si quid obsonare cupis, vtique commodabimus. Et paulo pòst: At has quisquilias quanti parasti? Vix, inquam, piscatori extorsimus accipere viginti denarios. Quo audito, statim arrepta dextra postliminio me in forum cupedinis reducens, à quo, inquit, istorum nugamenta hæc comparasti? Demonstro seniculum qui in angulo sedebat. Quem confestim pro ædilitatis imperio asperrima voce increpans: Iam iam, inquit, nec amicis quidem nostris, vel omnino vllis hospitibus parcitis? quid tam magnis pretijs pisces friuolos indicatis, & florem Thessaliæ regionis instar solitudinis ac scopuli, edulium caritate deducitis? Sed non impunè. iam enim faxo scies quemadmodum sub meo magisterio mali debeant coerceri. Et profusa in medium sportula, iubet officialem suum in super pisces ascendere, & pedibus suis eos obterere. Hæc Apuleius. Eoque etiam spectat quod sic Liuius lib. x. scribit: Eodem anno ab ædilibus curulibus, qui eos ludos fecerunt, damnatis aliquot

pecuarijs, via à Martis silice ad bouillas perstrata est. Nunc videndum est quid sibi voluerit Papinianus, quum ita scriberet: Ideo condemnatus quòd arctiorem annonam ædilitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non videtur, & ideo compensationem habebit. capite xvii. de compensat. Moris erat vt ob annonæ caritatem curator à magistratibus extra ordinem comparando frumento constitueretur. cap. xxi. in princ. Ad munic. Eoque Festi illud referendum est: *Qui rei frumentariæ præpositi sunt, curatores dicuntur*: quod malè ad frumenti dispensationem pleriq; referunt. Curator Romæ senatus auctoritate comparando frumento præpositus, certam ex ærario publico nummorum quantitatem accipiebat, qua fieri redemptio frumenti posset. Et idcirco si quam in redemptione fraudem fecisset ærario, maiorem puta quàm in rem frumentariam consumpta esset, pecuniam in publicas tabulas dolo malo expensam referens, frumentariæ pecuniæ debitor erat, eoque nomine peculatus lege tenebatur, quæ lex compensationem omnem impediebat. dict. cap. xvii. & cap. x. Ad L. Iul. pec. Obseruari etiã solet, vt frumenti curatoris opera redempti dispensatio ædilibus curulibus certo statutoque arbitratu senatus pretio committeretur. Idq; licet ex Liuio & Suetonio satis in hoc capite probatum sit, admonendi tamen sumus & Plinium quoque lib. xv. ca. i. tradidisse. Sic enim

Sic enim scribit: Et mox anno DC. LXXX. M. Seruius T. filius ædilis curulis olei denas libras singulis assibus præstitit populo Romano per totum annum. Illud igitur quæsitum est apud Papinianum, an vti compensatione ædilis possit, qui tempore ædilitatis suæ arctiorem annonam præbuit, hoc est, qui in annonæ dispensatione pretium auctoritate senatus constitutum excessit & auxit, eoque nomine condemnatus est. Nec quidem dubito, quin per annonæ præbitionem, dispensationem annonæ intellexerit Papinianus, ea profectò ratione, qua præbenda locare & quid præbendum conducere dixerunt veteres.

Quæ fuerit de Pyrrhi captiuis Ap. Claudij sententia.

CAPVT XVIII.

AIT Vlpianus: Appius denique Claudius cæcus consilijs publicis intererat, & in senatu seueriſſimam dixit sententiam de Pyrrhi captiuis. cap. i. §. iiij. de postul. Addidisse hæc verba videntur inepti quidam interpretes, *Non recipiendis*. Quæ verba licet in contextum passim irrepserint, à Florentino tamen archetypo rectè absunt. Quænam autem illa fuerit de Pyrrhi captiuis Appij Claudij sententia seueriſſima, docet Eutropius lib. ii. Romani, inquit, captiuos omnes quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi iusserunt, quòd armati capti fuissent: nec antè eos ad veterem statum reuerti, quàm

ti, quàm Sabinorum hostium occisorum spolia retulissent. Hanc autem Appij Claudij sententiam idcirco suspicor fuisse quòd ea seuerissima sit, & senatus auctoritate confirmata; quo solo nomine laudari virorum præclarorũ apud Romanos sententiæ solent. cap. xii. in princ. de accusat. Ex hoc Eutropij loco probari etiam liquidò potest de non recipiendis Pyrrhi captiuis nequaquam censuisse Appium Claudium; sed de ijs quos Pyrrhus reddiderat, & senatus receperat, quòd armati capti essent, puniendis. Eundem Appium de Pyrrho etiam in vrbẽ non recipiendo tulisse sententiam scribit Pomponius cap. ii. §. xviii. de orig. iur. De qua sententia, quòd plurima sint ab alijs annotata, non est cur hîc amplius differatur. nisi addideris, hanc quoque Appij sententiam senatum secutum esse. Idque epitomator Liuij indicat expressè cùm ita de Appio Claudio scribit li. xiii. Et sententia sua tenuit, vt id Pyrrho negaretur. Hoc est, obtinuit Appius sententia sua vt societatem cum rege Pyrrho populus Romanus non iniret. Sic enim quod de Pyrrho in vrbem non recipiendo passim apud historicos obuium est, accipiendum esse, docet Suetonius sic in Tiberio scribens: Appius Cæcus societatem cum rege Pyrrho, vt parum salubrem, iniri dissuasit. Idque etiam ex Cicerone probatur, qui ad hũc modum in Catone scribit: Quum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho fœdúsq; faciendum, non dubitauit illa dicere, quæ versibus persecutus est Ennius:

Quò sese mentes, rectè quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexêre via?

Hæc Cicero: apud quem nonnulli pro *Via*, legisse videntur *Ruina*, quod an rectum sit illi viderint.

Emendatur Callistrati locus, cap. xxvij. De pœnis.

CAPVT XIX.

APVD Callistratum in d. ca. xxvij. emendanda sunt hæc verba, *Qui capitale admiserunt*, in Florentinis pandectis: legendúmque, *Qui capital admiserunt*, non, vt quidam emendant, *Qui capitale quid, Qui capitale crimen*. Vsus est hac voce eo in loco idem Callistratus, in quo de agrarijs C. Iulij Cæsaris & Neruæ legibus disseruit. cap. iij. de ter. mot. quemadmodum ex Florentinis pandectis constat. Quid? An non capital admittere scripsit etiam Arrius Menander? cap. vi. de iure milit. Est autem capital, auctore Festo, facinus quod capitis pœna luitur. Plautus in Menech.

Nunquam Ædepol fugiet, tametsi capital fecerit.

Et in Mercatore:

Mulier alienata est abs te. CH. Eutyche capital facis.
EV. Qui? CH. Quia æqualem & sodalem ciuem liberum enecas.

EV. Ne dÿ ſirint. CH. Demiſiſti gladium in gu-
lam, iam cadam.

Quibus addi poterit illud Lucilij apud Nonium: Facilè deridemur, ſcimus capital eſſe iracier. Eadem forma puto veteres dixiſſe virginal, feminal, puteal, & ſic deinceps. Sic enim alibi ſcribit Prudentius: *Intactum ab omni crimine virginal.* Et Apuleius in Apologia prima: Sed enim, inquit, feminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea ſcripta confugit. Et idcirco ijs aſſentiri nequeo, qui pro *Capitale*, dictum per Apocopen *Capital* exiſtimant.

An ſoli prætores Romæ, & in prouincijs præ-
ſides ſoli de libertate iudicauerint.

CAPVT XX.

QVIBVSDAM eſſe perſuaſum animaduerti, prætores Romæ, & in prouincijs præſides, in cauſſis liberalibus iudices olim nõ dediſſe. Falſam eſſe perſuaſionem hanc, intelligi ex Plauto euidenter poteſt. Extant enim apud Plautum in Rudente verſiculi tres, quibus Labrax leno de abiudicata per recuperatores à ſe Palæſtra ad hũc modum conqueritur:

Quis me eſt mortalium miſerior qui viuit alter hodie,
Quem modò damnauit ad recuperatores Pleuſi-
dippus?
Abiudicata à me eſt Palæſtra: perditus ſum.

Per recuperatores autem intelligi datos iudices,

ces, ex eodem Plauto conſtat, qui ſic in Bacchidibus ſcripſit:

Poſtquam quidem prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum vi coactus reddidit
Ducentos, & mille Philippũm.

Nec id quidem Plauti duntaxat, ſed aliorum etiam grauiſſimorum auctorum teſtimonijs liquidò cõfirmatur. Sic enim in Veſpaſiano ſcribit Suetonius: Flauiam Domitillam duxit vxorem, Statilij Capellæ equitis Romani Sabracenſis ex Africa delegatam olim, latinæque conditionis: ſed mox ingenuam & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam patre aſſerente Flauio Liberali Ferentini genito, nec quicquam amplius quàm quæſtorio ſcriba. Quo quidem in loco iudicium recuperatorium ſic accipi debere, vt illud ad datos iudices referatur, ſatis ex Valerio Probo doceri poteſt. Veteris enim formulæ cuiuſdam meminit in libello de litteris antiquis Probus, quæ ſic habet: *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo: teſtibuſque publicè duntaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam.* Vlpianus quoque iudicem qui de libertate cognoſcebat, non certo aliquo ſpeciali, quale prætoris, præſidis, aut proconſulis eſt, ſed generali quodam iudicis cognoſcentis appellauit nomine, his verbis: *Apud eum qui de libertate cogniturus eſt.* cap. vij. §. fi. de lib. cauſſa. cap. xxxiiij. de ſtatulib. *Iudex qui de libertate cognoſcit,* cap. xli. de lib. cauſ. Quæ

res

res etiam argumento est, non præsidem nõ prætorem solùm, qui certi erant, sed etiam datum iudicẽ, qui erat incertus, de libertate iudicasse. Rursus si ad cognitionem prętoriam omnem libertatis controuersiam sic pertinuisse contenderis, vt de illis suo iure semper cognoscere prætor & iudicare debuerit; qua ratione vel à quo ad iudicem mitti eundem litigatores apud Vlpianum potuerunt? cap. viij. de lib. causſa. Prætorem enim vt actionem dedisse, sic etiam ad iudicem litigatores misisse, auctor est Caius cap. ix. de lib. causſa. Denique prędem vel prętorem super statu causſa cognoscere non potuisse, ex quodam imperatorum Seueri & Antonini rescripto constat, ca. i. C. de ord. cognit. Et quamuis porrò inficiari non possim talem fuisse libertatis fauorem vt maiores habere iudices deberet, idq; Paulũ scripsisse cap. xxxij. §. vi. de recept. arb. tamen Paulum non ad iudices maiores illos, qui de causſis maioribus iudicabant, qualem olim Romæ prætorem fuisse, & in prouincijs præsidem vel proconsulẽ summatim admonuimus, de præiudicijs lib. ii. sed ad eos iudices respexisse, qui ipsis arbitris compromissarijs maiores erant, satis ex eius responso conijcimus. Noluit enim Paulus ad dirimendam liberalem controuersiam arbitrum compromisso recipi. Certè quòd causſa libertatis maior esset, quàm quæ huiusmodi necessitati subijceretur; vt siue æquum siue iniquum arbitrium

trium esset, ei parere necessum foret. Fuisse autem arbitrorum duo genera Proculus ait; vnum huiusmodi, vt siue æquum siue iniquum esset, ei parere necessum foret: quod tunc obseruabatur, cùm ex compromisso ad arbitrũ itum esset. alterum eiusmodi, vt ad boni viri arbitrium deberet redigi. cap. lxxvi. pro socio. Ad prius illud arbitrorum genus expresse visus est respexisse Paulus, nimirum quòd fauor libertatis maior esset quàm vt periculo pœnæ sæpius leuissimo magnum per huiusmodi arbitrium libertati fieret præiudicium. Dicebantúrque respectu huiusmodi arbitrorũ iudices dati maiores, quòd hi quandiu iurisdictionem habebant, quamuis alioqui nihil haberent proprium, priuati tamen non essent, sed cum potestate. cap. lxxviij. de iudicijs. quum illi contrà priuati priuatam semper obtinerent ferendæ sententię auctoritatem. Et idcirco omnem sententiæ vim & effectum, arbitri compromisso recepti pronuntiatio non habebat. cap. xiii. §. ex compromisso. de his qui not. inf. Adde maiores & minores causſas necessariam ex argumenti subiecti qualitate interpretationem olim semper accepisse: vt apud Ciceronem de orat. li. i. Tu mihi cùm in circulo decipiare aduersarij stipulatiuncula, inquit Cicero, & cùm obsignes tabellas clientis tui, quibus id sit scriptũ quo ille capiatur; ego tibi vllam causſam maiorem committendam putem? Sensus est; si in stipulatione & in clientis

tui

tui tabularum obsignatione decipiaris, egóne tibi causſam aliquam hac stipulatiuncula & huiusmodi tabularũ obsignatione maiorem committendam putem? Simili modo, de liberali causſa, inquit Paulus, compromisso facto, rectè non compelletur arbiter sententiam dicere; quia fauor libertatis est, vt maiores habere iudices debeat. Hoc est, fauor libertatis est, vt iudices arbitris compromisso receptis maiores habere debeat. Et ita quidem ex his locis omnibus esse satis perspicuum puto, non prætorem solùm, aut præsidem, sed datos etiam iudices, de causſis liberalibus ijs temporibus iudicasse, quibus in vsu formularum erat conceptio. Porrò Diocletianus ordinariam in prouincijs primus sustulit dandi iudicis facultatem, voluitque eos qui iure imperij quo præditi erant, iudices ordinariè in causſis minoribus dabant, extra ordinem iudices duntaxat dare; hoc est, negotijs nimijs impeditos. capite ij. C. de ped. iudicib. Cúmque præsides antea in causſis liberalibus iudices dederant, voluit huiusmodi causſas sic ab ipsis præsidibus cognosci, sic iudicari, vt ne extra ordinem quidem dari iudices pateretur. d. ca. ij. Et quamuis idem Diocletianus solere super libertatis quęstionibus iudicare præsides prouinciarũ expresè referat, ca. vij. C. ne de statu def. ex eo tamen probari non potest, ante eius tempora de libertate solos præsides iudicasse, nullósque dare iudices potuisse.

Idem

Idem enim iamdudum à se statutum scribit, vt ingenuitatis causſę à rectore prouinciæ examinarẽtur. cap. v. C. vbi causſa status. Ergo quandoquidem à se prõfectũ testetur Diocletianus, vt per ipsosmet præsides liberales causſę iudicarentur; antea per datos iudices eas fuisse disceptatas, fateri omnino necessum est. Et hæc quidem sic in prouincijs obseruabantur. Romæ verò diu post Diocletianum imperator Constantinus primus liberalium causſarum disceptationẽ soli prætori iniunxisse visus est. Prætori, inquit, defertur hæc iurisdictio sancientibus nobis, vt liberale negotium ipse disceptator examinet. cap. i. C. de offi. præt. Quia enim ante Constantinum non prætor solùm sed iudex etiam datus de libertate iudicauerat Romæ, ideo dixit *Sancientibus nobis*. Nec quidem nos mouerat, quod imperator Alexander, cuius scrinij magister consiliarius, & tutor fuit Vlpianus, causſæ liberalis cognitionem expresè videatur iniunxisse præsidi soli, his verbis: *Iuxta ius ordinarium præsidem pete, qui cognita prius liberali causſa, ex cœtu iudicij liberalis, quid de crimine statuere debeat, non dubitabit.* cap. i. C. de ord. cognit. Et alio loco: *Antè liberalis causſa suo ordine agi debet, cognitionem suam præside præbente.* cap. ii. d. tit. Duo enim hæc Alexandri rescripta ad regulam illam de præiudicijs referenda sunt; qua traditum est, per minorem causſam maiori cognitioni prę iudicium fieri non posse, maiorémque quæstionem

nem minorem ad se caussam trahere, cap. liij. de iudic. Hanc igitur regulam secutus Alexander, quamuis eius temporibus liberales caussæ inter maiores non referrentur, sic vt per datos iudices expediri non possent; nihilominus tamen quia maius iudicium & minus simul concurrebant, voluit ad maiorem caussam iuxta ordinarij iuris dispositionem minorem quæstionem trahi. cap. iii. C. de iudicijs. Sic quidem vt iure magistratus de crimine prę sides cognoscerent, & extra ordinem de libertate iudicarent. Semper enim ad maiorem caussam sic quæstio minor trahebatur, vt iudex qui iure magistratus de caussa maiore cognoscebat, de minore quæstione quamuis iudicare vix soleret, nihilominus propter caussę coniunctionem de minore etiam status controuersia in præiudicijs iudicaret. Id quod à nobis dilucidè probatum est de præiudicijs lib. ii. ca. vii.

(**)
*

IAC.

IAC. RÆVARDI I. C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBER QVARTVS.

Emendatur & explicatur conuentionum ab Vlpiano tradita diuisio, cap. v. De pactis.

CAPVT PRIMVM.

QVAM VLPIANVS CONVENTIONum tradidit diuisionem in d. cap. v. eam vitio nulli obnoxiam esse, facilè demonstrabimus, si prius quod eius respondo subesse suspicamur mendum sustulerimus. Itaque quum sic scripsisset Vlpianus; *Conuentionum tres sunt species. aut enim ex publica caussa fiunt, aut priuata, aut legitima,* sic illud à librarijs malè transcriptum fuit: *Conuentionum tres sunt species, Aut enim ex publica caussa fiunt, aut priuata priuata, aut legitima.* vt sic, quod cuiuis facilè inter scribẽdum accidit, bis expressa videri possit dictio *Priuata*, quæ semel tantùm scribi debuerat. Confirmat hanc coniecturam Florentina pandectarum editio, omnium lõgè castigatissima, in qua eadem illa quam delendam esse suspicamur, dictio *priuata* duabus stellulis intercluditur. Quibus haud dubiè ea solent intercludi, quę quum in ipso archetypo desiderarentur, postea per librarium

brarium quendam addita fuerunt, & ob id superflua, ac sæpe minus idonea possunt censeri. Hęc nō considerantes qui caput istud interpretati sunt, sic illud interpunctionibus iniustis diuiserunt, vt totam Vlpiani sententiam penitus subuerterint, hunc in modum: *Conuentionū autē tres sunt species: aut enim ex publica causſa fiunt aut priuata: priuata, aut legitima, aut iuris gentium.* Non enim ea est Vlpiani sententia, vt conuentionem priuatam velit in legitimam & iuris gentium conuentionem distribuere; verùm conuentionem publicam tam esse posse contendit legitimam, quàm priuata esse legitima potest. Conuentionum igitur tres sunt species. aut enim ex publica causa fiunt, aut priuata, aut legitima. Ius autem gentium non admittit vllum conuentionum finem aut modum; sed simpliciter qui conueniunt, quomodocunq; conueniant, iure quidem conueniunt, sed gentiū. Omnes igitur conuentiones, siue publicæ, siue priuatæ, siue denique legitimæ sint, iuris continuò gentium sunt. Quod si ita est, erit igitur consequens, eundem qui tres esse dixit conuentionum species, tres esse iuris gentium conuentionum species affirmare. Ergo an est adeo absurdū, si tres esse duntaxat conuentionum species contendens Vlpianus, non plures quàm tres expresserit, publicam nimirum, priuatā, & legitimam? Quod enim de iuris gentium conuentione in eodem responso subijcitur, hoc si non Triboniani, sal-

tem quin inepti alicuius interpretis sit, dubium nō est. Proinde Franciſci Connani minimè subscribendū est opinioni, existimātis eius esse conditionis publicas conuentiones, & debere suis viribus sic valere, vt eas ad iuris gentium vel ciuilis regulas nequaquā dirigi necessum sit. Sed velim Connano, qui immaturo certè studioſis omnibus ereptus est fato, liceret respondere, an gentium ius suas habeat conuentiones aut numero aut certis & expressis speciebus definitas. Negaret opinor, nec aliquam vellet manifestæ veritati sciens prudens fraudem facere. Igitur si conuentiones iuris sunt gentium, nec vllum expresserit idem ius conuentionum aut finem aut modum; nósne ijs & finem & modum audebimus statuere? Si dixeris iure gentium conuentiones esse omnes introductas, exceptis quibusdam quæ iure ciuili introductæ sunt, idque per Hermogenianum probaueris cap. v. de iust. & iure: eam esse Hermogeniani sententiam, vt contendat conuentiones aliquas esse ciuiles quæ iuris gentium non sunt, constantissimè negabo. Id enim absurdum, ridiculum, & ineptum est. Obligationes, non contractus, non conuentiones iure gentium scribit Hermogenianus esse institutas, exceptis quibusdam quæ iure ciuili introductæ sunt. Omnes ergo conuentiones iuris gentium sunt, sed ex ijs quædam obligationes producunt iure gentium ad agendum efficaces, quædam

ex sui quidem natura actiones non producunt, hoc est quatenus sunt iuris gentium, sed ciuili iure confirmatæ, ad actiones prosunt. cap. v. & vi. de pactis. Emptio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, & ceteri similes contractus, non ciuili tantùm sed etiam gentium iure obligationes & actiones pariunt. Si enim à peregrino ciuis aut peregrinus emisset aliquid, Romæ à prætore peregrino ex empto & vendito dabatur actio nō quidem ciuili, sed gentium iure. At stipulatio quia ciuilis erat, inter solos ciues ad actionem proficiebat, quamuis alioqui stipulatio iuris etiam gentium esset. Proinde si à peregrino peregrinus aliquid stipulatus esset, quia huiusmodi stipulatio quatenus iuris gentium est, actionem non producit; ex stipulatu actionē alter aduersus alterum apud prætorem peregrinum postulans non audiebatur. Verùm si peregrinus creditor peregrino debitori suo stipulatione remisisset debitum, quamuis inter eos ex stipulatu actio nō consisteret, ex stipulatu tamen exceptio vtilis erat, non quidem ciuili, sed gentium iure. cap. viii. in fine. de accept. Atq; hoc illud est quod scripsit Vlpianus, iuris gentium conuētiones quasdam actiones parere, quasdam exceptiones. ca. vii. in princ. De pactis. Et ita quidem omnes cōuentiones quamuis iuris gentium sint, ex ijs tamen quędam obligationes ad agendum iure gentium efficaces producunt, quædam nisi ciuitatis alicuius expressa

pressa lege ad actionem prosint, gentium iure ad exceptiones duntaxat proficiunt. Et eam esse non dubito vt nouam sic veram sententiam d. cap. v. de iust. & iure. quam nec Tribonianus quidem probè videtur assecutus esse, malè per obligationes apud Hermogenianum contractus intelligens, §. Ius autem gentium. Instit. de iure nat. gent. & ciuili. Quid igitur impedit, quominus publicas quoque conuentiones iuris esse gentium fateamur? Nec quidem iuris duntaxat gentium conuentio publica est, sed etiam legitima esse potest, puta, si ea in foro aut in comitio auctore senatu cum populo ex lege duodecim tabularum solemni modo tractaretur. Publicam autem conuentionem quæ legitima non erat, conuentionem definit Vlpianus quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur. d. cap. v. de pactis. Haloander restituit *per principem*. In Florentinis pandectis *per pacem* legitur. Florentinam lectionem puto veriorem esse, & sic intelligendam: *Publica conuentio est quæ fit per pacem*, hoc est, per tot dierum inducias, quot vterque inter se exercitus pactioni obseruandas præscribit, quoties duces belli, hoc est exercitus vtriusq;, quædam paciscuntur. Sic enim pacem hoc in loco accipi posse, satis ex hac induciarum à Varrone tradita definitione manifestum est: Induciæ sunt pax castrensis, paucorum dierum, vt est apud Gellium libro j. capite xxv. Cui etiam consenta-

sentaneum est in Terent. illud Donati: Inducię sunt pax in paucos dies, vel quòd in diem dentur, vel quòd in dies otium præbeant. Nunc quæro, si publicam huiusmodi conuentionem iuris esse gentium negaueris, quo iure dices hostem cum hoste paciscì? Ciuilíne? Quis est obsecro qui non didicit, peregrinum Romanis legibus solutum esse? Igitur si hostis iure ciuili cum hoste non paciscitur, quo iure pactum huiusmodi dices subsistere? Nónne iure naturæ? nónne iure gentium? Dices iure publico. Núc audío: sed quæro an aliquod esse ius publicum potest, quod aut ciuile aut gentium non est? Ius fœderis percutiendi, pacisque tractandæ publicum esse, in hoc reponso testatur Vlpianus. Proinde si probauero ius istud publicum ex iure gentium substantiam capere, an dubitabis, obsecro, publicum ius, iuris esse gẽtium posse? Audi quid de iure gentium scripserit Isidorus Etymolog. lib. v. Ius gentium, inquit, est sedium occupatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera, paces, inducię, legatorum non violandorum religio, & quæ sequuntur. Et hæc quidem si vera sunt, duces igitur belli quum inter se paciscuntur, pacisci iure gentium rectè dicuntur. Idque etiam probari posse ex Liuio videtur, qui sic libro nono scribit: Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fœcialibus cæremonijs dignum erat, vt tu quidem quod

quod petisti, per pactionem habeas, tot ciues incolumes; ego pacem quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam? Hoc tu A. Corneli, hoc vos fœciales iuris gentibus dicitis? Et sic quidem satis arbitror manifestum esse, cõuentionem publicam ex iure gentiũ substantiam capere, quanuis aliter apertè sentiat Tribonian. Nec sanè, vt eò vnde digressus sum reuertar, per duces belli alios quàm superioris iuris imperatores esse hîc apud Vlpianum intelligendos, ex illa pactione Gallica, cuius libro quinto meminit idem Liuius, satis apparet. Nam antequam appensum esset mille pondo auri pretium, quo liberati ab obsidione Gallica ex eadem pactione fuissent Romani, ni per Camillum stetisset, interueniens dictator Camillus cum exercitu, auferri aurum de medio & Gallos submoueri iubebat. Cùm illi reluctentes pactos sese dicerent, negat pactionem eam ratam esse, quæ postquam ipse dictator creatus esset, iniussu suo ab inferioris iuris magistratu facta esset. Ceterùm dictatori, alijsúe belli ducibus, de rebus alijs cum hostibus paciscì quàm de ijs quæ populum non tenerent, nequaquam iniussu populi fuisse liberum, idem expressè tradidit Liuius libro decimo. Hoc, inquit, prælio fractæ iterum Hetruscorum vires, & pacto annuo stipendio, & duûm mensium frumento permissum ab dictatore, vt de pace legatos mitterent Romam;

pax negata,inducię biennij datæ. Igitur quod dixit Vlpianus publicam conuentionem esse, quoties duces belli quædam inter se paciscuntur; eam pactionem publicam intelligere debemus quæ populum non obligat. cuiusmodi est pactum de annuo stipendio, & duorum mensium frumento. Verùm de pace idcirco legatos Romam mitti iussit dictator, quòd ea conuentio non publica solùm esse posset, sic vt per solos belli duces posset tractari;sed etiam quòd ea debuerit olim ante legem regiam esse legitima, hoc est ex præscripto legũ decemuiralium, in comitio,in foro,aut etiam in Capitolio, cum populo auctore senatu tractari. Nam cùm apud Liuium pacem Caudinam, quam cum Samnitibus iniussu populi & sine auctoritate senatus Aulus Postumius consul fecerat, idcirco ratam esse idem Postumius negaret, quia iniusu populi facta esset (nimirum quòd iniussu populi quicquam sanciri non poterat quod populum teneret,vt refert Liuius lib.ix) videtur Postumius legem aliquã in medium attulisse, qua quicquid iniusu populi, quod populum teneat, à magistratu aut ab imperatore factum erat, non esset ratum. Eam legem omnino fit mihi verisimile fuisse decemuiralem. Pacta quædam esse quæ legibus obseruanda sunt, scribens auctor ad Herennium libro secundo,subiecit: *Rem vbi pagũt,oratione pagunt*. Constat certè orationes haberi ad populũ in foro vel in comitio,aut etiam pro

pro rostris olim consueuisse. Proinde hæc,quæ apud eundẽ auctorem ex lege,ni fallor, duodecim tabularũ subsequuntur verba: IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSSAM CONICITO; ad legitimas cõuentiones,non quidem priuatas (in ijs enim nec loci nec orationis haberi solet ratio) sed ad publicas esse referẽda existimaui, & ad eam legem omnino pertinere,quam de iniusta pace Caudina Aulus Postumius protulisse visus est. Vt ita quidem pax,fœdera,inducię, & si quæ sunt alia quæ ex legum præscripto publicam requirunt pactionem,oratione soleant cum hostium legatis,in foro aut in comitio ante meridiem auctore populo tractari. Idque eo verisimilius est, quòd sic libro quadragesimo tertio scripserit expresse Liuius: Et forsitan obtinuissent consules ni Q. Martius Rex & C.Atinus Labeo tribuni plebis se intercessuros dixissẽt, ni prius ipsi ad plebem tulissent,vellent,iuberẽt'ne cum rege Philippo pacẽ esse? Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta tribus vti rogatę iusserunt. Huic etiam consentaneum est, quod idem Liuius sic lib.xlvij. scribit: Cui rata ista pax erit, quam sine consule, non ex auctoritate senatus,nõ iussu populi Romani peregerimus? Quæro enim, pace per te facta, rediturus ne extemplò in Italiam sis, classem exercitumque deducturus, an expecturus quid de ea re consuli placeat, quid sena-

tus censeat, quid populus iubeat? Hæc Liuius. Eoq; sensu accipienda sunt hæc verba: *Rem vbi paguat oratione pagunt:* quę ad consuetudinē po tius & antiquā cum hostibus paciscendi auctore populo rationem debent referri, quàm ad legem aliquam decemuiralem. Verùm hęc verba, *In comitio aut in foro ante meridiem causſam conicito:* puto esse ex duodecim tabulis, & decemuiros in fœdere percutiendo, pace inducijsue tractandis, in foro comitioue causſam conijci, hoc est summatim exponi populo, ante meridiem voluisse. Eaque interpretatio vel hinc videri verisimilior potest, quòd scripserit in Problemat. Plutarchus, magistratus Romanos post meridiem fœdus facere non consueuisse. Auctor est etiā Suetonius, fœdus in foro percuti solemni quadam ratione olim solere. Sic enim de Claudio scribit: Cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, & vetere fœcialium præfatione adhibita. Et hanc quidem legitimam conuentionem si iuris esse gentium negaueris, iterum quæro quonam iure populus Romanus constrictos hostes peregrinósque tenet? Adde legitimam conuentionem eam Vlpianum definiuisse quæ lege aliqua confirmatur, cap. vi. de pactis. Ex hac enim definitione constat euidentissimè, legitimas conuentiones non ciuilis tantùm, sed iuris etiam gentium esse. Nam si illæ demum appellari conuentiones legitimæ possint, quæ lege aliqua confirmantur; necessum igitur est, huiusmodi

huiusmodi conuentiones antè etiam quàm aliqua lege confirmarentur, conuentiones fuisse. Quales autē cōuentiones eas fuisse dices? nónne iuris gentium? Proinde quis tam est quæso stupidus, vt non intelligat, legitimas conuentiones, nō publicas solùm quales sunt de quibus hîc agitur, sed priuatas etiam, cuius generis est stipulatio, iuris tam gentium qnàm ciuilis esse? Conuentiones igitur omnes iuris gētium sunt. Porrò qui hanc legis decemuiralis particulam, quam modò sumus interpretati, cum ea cuius meminit Gellius lib. xvi. cap. ij. coniunxerunt, videant hi ne cœlum terræ miscuerint.

Cur à prætoribus decreta latinè debuerint interponi, emendatúmque Arcadij & Honorij rescriptum.

CAPVT II.

DECRETA, inquit Triphoninus, à prætoribus latinè interponi debent. capite xlviij. de re iudicata. Triphoninū ita visus est Accursius interpretari, vt existimauerit inter Latinos duntaxat caput istud locum habuisse. sed errat. Tam enim inter Græcos quàm inter Latinos, imò in ipsa Græcia & Asia locū huic respōso fuisse, facilè intelligemus si cōsideraueri mus eadem ratione decreta prætores Latinè interposuisse, qua magistratus populi Romani Græcis nunquam nisi Latinè responsa dedisse, refert Valerius Max. li. ij. ca. i. Partim videlicet vt Latinę

vt Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, partim etiam ne vlla re toga pallio subijceretur. Decretum autem generis nomen esse, omnem omnino prætoris sub se continens pronuntiationem, in Verrina sexta euidenter demonstrat Cicero. Cùm inquit, ad prætorem in ius adissemus, excogitat sanè diligenter & cautè quid decernat. nam antequam verbum facerem, de sella surrexit, atque abijt. Id ipsum etiam ex Valerio probari potest, qui sic lib. viij. ca. vij. de P. Crasso scribit: Quæ res maximum ei sociorũ amorem consiliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal eius postulauerat, eadem decreta reddenti. Siue igitur iudicem det, siue in bona mittat, siue sententiam ferat, decernere prætor semper dicitur. Et quia non nisi Latinè pro tribunali pronuntiare quicquã prętores, præsides aut proconsules poterant, ijs idcirco adesse solent interpretes, qui decretum Latinè prolatum Græcis alijsue litigatoribus barbaris explicarent. De quibus interpretibus scribit Cicero in Verrina quinta. Aulus Valentius, inquit, est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Græcam sed ad furta & flagitia vti solebat. Et in Verrina sexta: Cùm Valentio eius interpreti epistola Agrigenti allata esset, casu signum iste animaduertit in cretula. Idem Cicero sic etiã de fi. bo. li. v. scribit: Quemadmodum in senatu semper est aliquis qui interpretem postulat; sic isti nobis cum interprete

terprete audiendi sunt. Et hæc quidem in solis Romanorum iudicum decretis obseruata sunt. In proscriptionibus verò & superindictionibus, non æquè. Testis est enim Vlpianus proscriptiones litteris tam Græcis quàm Latinis secundùm loci consuetudinem fieri solitas. cap. xj. §. ij. de instit. act. Et superindici etiam Græcè à lictoribus potuisse, docet apertè Iulianus cap. xiij. in fin. de iureiurando. Nec mirum; siquidem non à ciuibus duntaxat Romanis, sed etiã à Græcis alijsque barbaris hominibus fieri & superindictiones & proscriptiones poterãt, sine aliquo Romanæ maiestatis præiudicio. Quia igitur decreta de quibus hîc agitur, ea sunt, quæ non à municipalibus, sed à Romanis magistratibus, prætoribus nimirum, præsidibus, & proconsulibus duntaxat interponebantur, quorum est in omnibus imperij Romani maiestatem conseruare, diligentérque prouidere ne quid respublica detrimenti capiat, ne qua re toga pallio subijciatur: idcirco audiendi nõ sunt, qui ex superindictionibus, proscriptionibus, & magistratuum municipalium sententijs, præsidum, proconsulum, prætorúmque decreta metiuntur. Quæ decreta nisi caussa cognita interponi non solebant. & ideo si quid Græcè extra cognitionem caussæ pro tribunali pronuntiaretur, non erat cur ob id reprehendi præses deberet. idque Gordianus rescripsit cap. xvii. C. Ex quibus causs. infa. irrogat. Quòd autem

Romæ

Romæ à magistratibus decreta Latinè debuerint interponi, & ab ijsdem Latinè responsa dari, non tam mirum est, quàm quòd eadem in Græcia Græcè interponi aut dari non potuerint. adeo certè vt propterea reprehensum à Metello se fuisse in Verrina sexta expresse testatus sit Cicero, quòd Syracusano magistratui Græcè locutus esset. Ait indignum facinus esse, inquit Cicero, quòd ego in senatu Græco verba fecissem, quòd quidem apud Græcos Græcè locutus essem, id ferri nullo modo posse. Nec id sanè cuiquam videbitur mirum, præsertim non ignoranti quid sibi voluerit Suetonius sic in Augusto scribens: Sed & ceteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper & pallia distribuit, lege proposita, vt Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone vterentur. Et hic quidem Latini sermonis honor tam venerabilis, non Romæ solùm sed etiam in Asia & tota Græcia obseruatus olim constantissimè videtur, donec tandem à Iuliano Asiæ quodam proconsule persuasi Arcadius & Honorius imperatores, iudices tam Græca quàm Latina lingua sententias proferre expresso quodam rescripto paterentur. capite duodecimo. C. de sentent. & interlocutionib. omn. iudic. Quod quidem rescriptum verborum transpositione vitiosum, sic esse videtur restituendum: *Iudices tam Græca, quam Latina lingua sententias proferre possunt*. Malè pas-

sim legitur, *Tam Latina quàm Græca lingua*. In Græcia enim Latinè duntaxat ante istorum imperatorum tempora proferri sententia poterat.

Sub pellibus, quid sit apud Celsum & Labeonem.

CAPVT III.

QVÆSITVM est quid Celsus his verbis voluerit: Labeo ait originem fuisse supellectilis, quòd olim his qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus vsui forent. capite vij. de suppellect. legat. Parua quæstio; sed tamen quæstio. Ad quam responderi poterit, tentoria exercitus Romani ex pellibus fieri consueuisse. Idque libro secundo testatur Valerius capite secundo. Sic enim scribit: Decreuerunt vt ex ijs qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur, néue quis eorum in castra tenderet, néue locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, néue tentorium ex pellibus haberet. Igitur sub pellibus nihil aliud est, quàm sub tentorijs. Idque probari etiã ex Tacito potest, qui sic Annalium lib. xiij. scribit: Retentúsque omnis exercitus sub pellibus, quamuis hyeme sæua adeo, vt obducta glacie nisi effossa humus tentorijs locum non præberet. Et libro xiiij. Contractus deinde,

deinde, inquit, omnis exercitus, sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda.

Quid ab ærario fiscus differat.

CAPVT IIII.

POPVLVS Romanus suum habuit ærarium, habuit & princeps ærarium suum. Ærarium populi, ærariũ Saturni dicitur: principis ærarium, fiscus vocatur. Patrimonium populi Romani in ærarium Saturni, principis in fiscum deferebatur. Et hac ratione, res quæ in vsu publico sunt, ab ijs quæ sunt in patrimonio fisci, visus est Papinianus distinxisse cap. lxxii. in fine. de contrah. empt. Rursus damnatorum bona aut publicari aut confiscari solent: publicabantur, quæ venalia publicè proscripta, in populi Romani ærarium sectione redigebantur: confiscabantur, quæ ad priuatam principis vtilitatem referebantur. Hanc ærarij & fisci differentiam obseruasse visus est Plinius, cùm ita scriberet: At fortasse non eadem seueritate fiscum qua ærarium cohibes: immò tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo quàm de publico credis. Eoque spectat Suetonij illud in Augusto: Quantum militum sub signis vbique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis. Et Tacitus Annal. lib. v. Bona, inquit, Seiani ablata ærario, vt in fiscum cogerentur. Scribit sic etiã in Hadriano Ælius Spartianus: Damnatorum bona in fiscum priuatum

uatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. Auctor est etiam Vlpianus res fiscales quasi proprias, & priuatas principis fuisse. ca. ij. §. ij. ne quid in loc. publ. Id ipsum cõfirmat Seneca, de benef. lib. vii. Cæsar, inquit, omnia habet, fiscus eius priuata tantùm, ac sua; & vniuersa in imperio eius sunt, in patrimonio propria. Et hinc quidem obscurum esse non videtur, qua ratione locum fiscalem à publico loco separet Vlpianus cap. iij. §. viij. de iure fisci. Dubium enim non est, quin per fiscalem, proprium ratione imperij, & priuatum principis: per publicum autem, populi Romani aut alicuius ciuitatis locũ intellexerit. Hinc etiam intelligimus, rectam esse capitis primi D. de bo. damnat. hanc in Florentinis pandectis epigraphen; CALLISTRATVS LIBRO PRIMO, DE IVRE FISCI, ET POPVLI: & ius quidem fisci, ad imperium principis; ius verò populi, ad ærarium Saturni referendum esse. Quasi in effectu sic scripsisset Callistratus: *De iure fisci & ærarij:* Nec moueor indicis Florentini auctoritate. Eum enim deprauatum nonnullis in locis & imperfectum esse, alij docuerunt. Inscriptionem hanc eiúsque interpretationem nostram cõfirmat Ælius Lampridius in Alexandro. Leges, inquit, de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit. Eoque pertinet Vulcatij Gallicani illud in Auidio Cassio: Senatus illum hostem appellauit, bonaque eius proscripsit,

scripsit, quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit: quare senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata. Porrò hæc antiqua ærarij & fisci differentia frequenter confunditur. Res enim quæ confiscantur, redigi in ærarium; & quæ in ærarium rediguntur, confiscari promiscuè sæpius dicuntur. Quo sensu pro publico ærarij thesauro, fiscum veteres dixisse, scribit etiam Asconius. Nec alio sensu fiscum accepisse visus est Paulus, cùm ita scribe ret: Publicatis bonis, quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum. cap. xxii. §. v. Mandati. Huc spectat illud Sexti Rufi: Cyprus famosa diuitijs, paupertatem populi Romani, vt occuparetur solicitauit. eam rex fœderatus regebat; sed tanta fuit penuria ærarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, vt lege lata Cyprus confiscari iuberetur.

Emendatur Vlpiani locus.

CAPVT V.

AIT Vlpianus: Exemplo rescissorię actionis etiam exceptio ei qui reipublicæ caussa abfuit, competit, fortè si res ab eo possessionem nacto vindicetur. capite xxviii. §. v. Ex quibus caussis maiores. Sensus loci huius euidentissimus est. Voluisse enim videtur Vlpianus, eum cuius reipublicæ caussa absentis res est vsucapta, duabus vsucapionem infrin-

infringere rationibus posse, nimirũ aut actionis aut exceptionis medio. Certum est absentiam reip. caussa non impedire quominus ipso iure res absentis vsucapi possit. Proinde vsucapta re, quia nullus vindicationi, nullus restat condictioni, aut in integrum restitutioni locus, & tamen iusta vsucapionis rescindendæ caussa videtur non deesse; concedere idcirco solet ei qui reipublicæ caussa abfuit, actionem prætor, qua vsucapio rescinderetur, vtpote prætorio iure inualida, eaque actio rescissoria dicebatur. Verùm si quo casu veterem nactus esset vsucaptæ rei possessionem is qui reipublicæ caussa abfuerat, exemplo actionis rescissoriæ, sic exceptionis auxilio tutus erat, vt ei qui vsuceperat, rem vsucaptam vindicanti, restituere non cogeretur, sed posita & probata absentiæ reipublicæ caussa præscriptione, tam rescindebatur exceptionis huiusmodi medio vsucapio, quàm si quæ eius rei nomine instituta esset actio rescissoria. Et hæc quidem certissima sunt. Nunc admonendi sumus pro *Possessionem nacto*, in nonnullis antiquis, & in ipsis etiam Noricis exemplaribus expressè legi, *possessionémue nacto*. Quæ lectio esse mihi videtur verissima, præsertim si pũcto adiecto sic emẽdetur, *possessionẽ ue. nacto*. Nõ enim dubito quin sic scripserit Vlpian. & *Veterem* hac nota *VẼ*. significauerit. Sic igitur legẽdũ est, *fortè si res ab eo possessionem veterem nacto vindicetur*. d. §. v. Haud dubiè

per veterem, eam possessionem intelligit Vlpianus, quam is qui reipublicæ caussa abfuerat, ipso iure per vsucapionem amiserat. Et ita mihi videtur.

Verus intellectus L. Transigere, C. De transact.

CAPVT VI.

HVIVS rescripti facilis erit sententia, si consideremus olim nonnulla fuisse capitalia iudicia, quæ principaliter publicam haberent executionem, quædam verò in quibus principaliter de re familiari agebatur. Illud etiam obseruandum est, ex quibus caussis publica sunt iudicia, ex ijs non esse nos prohibendos, quominus & priuato agamus. Et quia hoc tunc duntaxat verum esse contendit Vlpianus, cùm non de ea re agitur, quæ publicã principaliter executionem requirit, cap. vij. §. j. de iniur. intelligere mihi propemodum videor, quid sibi Diocletianus & Maximianus imperatores voluerint, cùm ita scriberent: Transigere vel paciscí de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitũ non est. cap. xviij. C. de transact. Non enim dubito, quin de ijs capitalibus crimi nibus imperatores consulti fuerint, quæ principaliter publicam non habent executionem, sed extra ordinem. cap. fi. de public. delict. Vt sic de huiusmodi criminibus transigere vel paciscí, cuiuis eadem ratione videri possit liberum fuisse, qua de furto, de membro rupto, de osse fracto, deque alijs id genus maleficijs veteri iure

teri iure pactioni, transactioni, & compensationi locus fuit. Igitur quotiescunque ex ijs caussis priuato iudicio agitur, ex quibus etiam publica sunt iudicia, toties & pactum et transactio de crimine capitali admitti debent: quæ contra admittenda non sunt in ijs capitalibus caussis ex quibus priuato iudicio experiri permissum non est. Quis enim credat, in caussis publicis transigere vel paciscí cum accusatore, cum quæsitore, aut denique cum iudicibus aliquo modo reis de crimine capitali permissum fuisse? Qua de re scribit eleganter Tertullianus in lib. de fuga in persecut. Tu autem, inquit, pro eo paciscéris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præside, sub tunica, & sinu, quod aiunt, furtiuo, quem coram toto mundo Christus emit, immo & manumisit. Et paulo pòst: Paulus quidem, cùm Felix præses pecuniam accepturũ se pro eo à discipulis speraſſet, de quo & ipse in secreto tractauit cum ipso, neque ipse pro se, neque discipuli pro eo numerauerunt. His non ineleganter adiungi potest illud Terentij in Phorm.

Soli sumus nunc hîc inquam, eho dic quid velis dari
Tibi in manum vt herus his desistat litibus.

In quem locũ Donatus, Datur, inquit ei in manum qui separatim accipit, sine arbitro aut interprete; vt præuaricator, vt iudex corruptus. Ex quibus locis liquidò constat, accusatoribus, quæsitoribus, iudicibúsque in aliquibus caussis

etiam capitalibus cum reis paciſci liberum non fuiſſe. Et idcirco non eſſe eos audiendos puto, qui reſcriptum iſtud ſic interpretantur, quaſi voluerint imperatores, reos qui de crimine capitali cum iudicibus aut accuſatoribus paciſcuntur, impune paciſci, impune tranſigere. Id enim falſiſſimum eſſe, ex Paulo conſtat, capite xxi. de lege Cornel. de falſis. Et quia adulterium, quod inter crimina capitalia numeratur, ad mariti ſolius videtur læſionem vindictámque pertinere, & ſic per conſequens publicam principaliter executionem non requirere; idcirco an de adulterio æquè paciſci liceat, atque de alijs capitalibus cauſſis, quæ principaliter publicam non habent executionem, conſulti imperatores reſcripſerunt, tranſigere vel paciſci de crimine capitali excepto adulterio prohibitum non eſſe. dicto capite xviii. Nimirum quòd non ſolùm contaminationi vxoris indignari maritus debeat, (cap. j. §. ij. Ad leg. Iul. de adult.) ſed etiã quòd iniquum ſit, commodum alicuius pactionis vindictæ domus ſuæ maritum præponere. cap. xi. §. iii. dict. tit. Et hac de cauſſa vxorem in adulterio deprehenſam dimittere maritus etiam cogitur; quam ſi retinuerit, lenocinij arguitur, eiúſque pœna coërcetur. cap. xxix. d. tit. Adulterium eſt publicum iudicium & capitale, ſanguinis tamen pœnam non ingerens, quemadmodũ ex ſubiectis apparebit. Reus de adulterio tranſigens, non falſi

falſi arguitur, vt in alijs quæ ſanguinis pœnam non ingerunt publicis iudicijs fieri ſolet, ſed pro victo & confeſſo habetur. capite vltimo, de præuaricat. Qua de cauſſa, quod ijdem imperatores adijciunt, in alijs publicis iudicijs, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licere citra falſi accuſationem; hoc reſpectu publicorum quæ adulterij cauſſa exercentur iudiciorum additum videtur. Vt ſit ſenſus: de adulterio, cuius condemnatio nullam ſanguinis pœnam ingerit, tranſigere reo non licet, citra criminis conuicti pœnam: in alijs publicis iudicijs, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, qui tranſigit, citra falſi accuſationem non tranſigit. Et ita quidem in publicis omnibus ijs iudicijs, quę ſanguinis pœnã non ingerunt, excepto ſolo adulterio, citra falſi accuſationẽ tranſigere non licet. Idq; ad eos mihi ſpectare videtur, qui accuſatores, quęſitores, aut etiam iudices ipſos pacto præmio corrumpunt. ca. xxi. de leg. Cor. de falſis. cap. iiij. xxix. & xxxiiij. de iure fiſci. quemadmodum ſatis indicant hæc verba *In publicis iudicijs*. Quibus verbis haud dubiè tempus illud denotatur, quo publica exercentur iudicia. Et idcirco notandũ eſt diligenter, diuerſa eſſe, de crimine capitali, & in iudicijs publicis paciſci. Tranſigere enim de crimine capitali vel paciſci prohibitũ nõ eſt, quoties de eo iudicijs nõ quidem publicis ſed priuatis agitur: ſiquidẽ in publicis iudicijs nullus eſt tranſactioni, nullus pa-

ctioni locus de crimine capitali. Proinde quis non eos videat errare plurimùm, qui hic per crimen capitale, capitale iudicium intelligunt? Igitur quamuis de crimine capitali, excepto adulterio, cum eo qui passam iniuriam priuato iudicio potest vindicare, transigere, vel pacisci prohibitum non sit, in publicis tamen iudicijs, hoc est, eo tempore quo publicum de capitali crimine institutum iudicium est, nullus cum reo relictus est accusatori, quæsitori, aut iudicibus de capitali crimine pacisci vel transigendi locus. Eoque pertinet Ciceronis illud Act. iij. in C. Verrem: Scelus est accipere ab reo, quãto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab vtroq; ? Nec aliter quidem hæc verba, *Citra falsi accusationem*, esse accipienda, quàm vt hi qui in publicis huiusmodi caussis pacisc untur, falsi crimen siue accusationem incurrant, docuit rectissimè Brissonius. Idem Brissonius elegans & eruditus interpres, hæc verba, *Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est*; ideo Triboniani esse contendit, quòd in numerum capitalium criminum non veniat adulterium, cuius pœna ex Constantini demum constitutione facta est capitalis. Non rectè. Certè, quia sic Apuleius de asino lib. ix. scribit: Ac ne iuris quidem seueritate, lege de adulterijs ad discrimen vocabo capitis tam venustum atque pulchellum. Huic etiam consentaneum est quod sic Arnobius aduersus gentes libro quarto

quarto scribit: Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturę infirmitate procliues, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione iecisse. Pœna igitur adulterij capitalis fuit etiam ante tempora Constantini; quo imperante, adulterij pœna ex capitali facta primùm est pœna sanguinis. cap. xxx. C. Ad leg. Iul. de adult. Eoque spectat quod sic diuus Hieronymus Sabiniano diacono scribit: Non tibi illa nunc replico, quòd plures virgines stuprasse narreris, quòd à te nobilium violata matrimonia publico cæsa sint gladio, quòd per lupanaria impurus & helluo cucurristi.

Quid sit apud Vlpianum, Circa stationes se occultare.

CAPVT VII.

STATIO locus fuisse videtur, in quem certis temporibus certum genus hominum contrahitur. Sic stationem visus est accepisse Plinius Epist. lib. j. Plerique, inquit, in stationibus sedent, tempúsque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit præfationem. Sic etiam accipi voluit stationem Gellius, cum ita scriberet, lib. xiij. cap. xiij: Quæsitum esse memini, in plerisque Romæ stationibus ius publicè docentium ac respondentium, an quæ-

ſtor populi Romani in ius vocari poſſet. Huiuſmodi loca in foro Romano fuiſſe teſtis eſt P. Victor, qui ſub octaua regione, quæ Forum Romanum dicitur, in libello, de regionibus vrbis, Senaculum Aureum, & Stationes municipiorum complexus eſt: per Senaculum Aureum antiquam ſenatorum ſtationem intelligẽs. de qua ſcribit ad hunc modum Valerius lib. ij. cap. i. Sed vt à luxu perditis moribus ad ſeueriſſima maiorum inſtituta tranſgrediar, antea ſenatus aſſiduam ſtationem eo loci peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur: nec expectabat vt edicto contraheretur, ſed inde citatus protinus in curiam veniebat. Stationes autem municipiorum in foro fuiſſe, præter P. Victorem expreſsè teſtatus eſt Plinius, ſic de arbore quadam, cui Lotos nomẽ eſt, differens lib. xvi. cap. xliij. Radices eius in forum vſque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetrant. Valerius Maximus in eodem iam dicto capite ſic etiam ſcripſit: Quocirca iuuenes ſenatus die vtique aliquem ex patribus conſcriptis aut propinquum aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixíque valuis expectabant donec reducendi officio fungerentur: qua quidem voluntaria ſtatione, & corpora & animos ad publica officia ſuſtinenda impigrè roborabant. Et ita quidem fuiſſe videntur in Romano foro diuerſæ ſtationes, quales eſſe probauimus municipiorum, ſenatorum, & iuuenum in curiam patres

tres deducentium. deque huiuſmodi ſtationibus illud accipiendum puto, quod ſic Vlpianus ſcribit: Denique eum quoq; qui in foro eodem agat, ſi circa columnas aut ſtationes ſe occultet, videri latitare veteres reſponderunt. cap. vij. §. vi. Quib. ex cauſ. in poſſ. eat. Senſus enim eſt, eum etiam dicẽdum latitare, qui licet in eodem foro ſit, effugit tamẽ aduerſarij ſui conſpectum: quod fieri ſolet, circa columnas aut ſtationes ſe occultando. Circa columnas ſe occultant, qui poſt columnas aut ſtatuas fugiunt; circa ſtationes verò, qui ſe tempore cõuentus, municipiorum, ſenatorum, iuuenum, alijſue, ſi quæ ſunt, ſtationibus adiungunt aut immiſcent, vt hoc medio conſpectum fugiant aduerſariorum. Quod facilè fieri potuiſſe, ſatis ex diuo Ambroſio conſtat, qui ſic in Sermone xxv. ſcribit: Denique ſtationes vocantur, quòd ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus. Et ſic quidem qui circulis hominum in certo quodam loco ſtantium ac commorantium immiſcent ſeſe, hi rectè occultare ſe circa ſtationes dicuntur. Eoque etiam referri poteſt quod ſic Iuuenalis Sat. xi. ſcribit:

Omnis
Conuictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo.

Per ſtationes enim haud dubiè huiuſmodi circulos intellexit Iuuenalis.

De tribu-

De tribunatu numerorum, emendatúrque cap. vltimum, C. De testam. milit.

CAPVT VIII.

AVCTOR est Iustinianus antiquis legibus pupillis permissum fuisse, si tribunatum numerorum merebantur, vltimum elogium conficere. d.cap.vlt. Exponendum est quis dicatur numerorum tribunatus; eoque cognito, facilè mendosum hunc Iustiniani locum deprehendemus. Legiones fuisse sub C. Iulio Cæsare triginta videntur in Romana republica, quarum diuersa signa expressit eleganter ex numismatibus antiquissimis in eo libro Hubertus Goltzius, quem de C. Iulio Cæsare fecit. Vnaquæque legio decem habebat cohortes. Primam cohortem miliariam fuisse testatur Vegetius; in quam censu, genere, litteris, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Reliquæ cohortes, inquit idem Vegetius, prout principi placuisset, à tribunis vel à præpositis regebantur. Illud etiam constat, cohortes alio nomine numeros appellari. Sic enim in libro primo historiæ tripartitæ ex Sozomeno scriptum inueni: Ex illo autem Romanorum cohortes, quæ nunc numeri nuncupantur, singulę fecerunt tabernaculum proprium. Legiones etiam interdum numeri dicuntur. cap. xiiij. de re milit. Eoque sensu numeros accepisse visus est Vlpianus. Si quis, inquit, militum ex alio numero

numero translatus sit in alium, quamuis & hinc sit exemptus, & illò nondum venerit, tamen poterit iure militari testari, cap. vnic. de bo. poss. ex test. milit. Hoc est, si quis militum de vna legione in aliam translatus sit. Interdum à legionibus separantur numeri. ca. xiij. in princ. C. de re milit. Proinde quis est qui non intelligat quem tribunatum appellat numerorum Iustinianus, eum tribunatū militum à Vegetio nuncupari? Igitur qui tribunus est numerorum, is idem militum tribunus est, hoc est alicui Romanorum cohorti aut legioni præpositus. Cohortes enim tribunos suos habuisse, docet Plinius epist. lib. iij. Stillonium Priscum, inquit, qui tribunus cohortis sub Classico fuerat, accusauimus. Legiones etiam tribunos habuisse, ex Marcello constat, qui sic scripsit: Titius priusquam tribunus legionis factus esset, testamentum fecit. cap. xxv. de test. milit. Et quandoquidem tribunorum huiusmodi, armorum scientia, virtute corporis, morúmque honestate conspicuorum, solicitudinem per hanc laudari industriam referat expresse Vegetius, cùm miles veste nitidus, armis bene munitus & fulgens, exercitij vsu & disciplinę eruditus incedit; quis credat militarem tribunatus huiusmodi dignitatem à Romanis principibus, in pupillos vnquam collatam fuisse? Ideoque locum hunc Iustiniani sic esse emendandum existimaui, vt pro *Tribunatum numerorum* legamus *In tribunatu numerorum*

merorum, hoc est, sub tribuno militum. Ea nimirum ratione & forma loquendi, qua *In officio tuæ culminis merendi licentiam habere* præfecto cuidam prætorio scripsit imperator Cõstantinus cap. fi. C. de cast. pec. milit. Erroris originem ad verborum refero transpositiones. Cum enim non rectè scripserant hunc in modum librarij: *Tribunatu in numerorum*, pro *In tribunatu numerorum*, profectò ex *Tribunatu in*, factum videri potest verbum illud *Tribunatum*, quod in vulgari editione passim extat. Similis error apud Tryphoninum etiam deprehensus est, in capit. pe. circa princ. de bo. pos. cont. tab. In eo enim loco *Effectum*, pro *In effectu*, perperam scriptum obseruauit Cuiacius. Et sanè in huiusmodi verborum transpositiones incuria librarios typographósque interdum lapsos esse, illud Tertulliani, de pudicitia, liquidò demonstrat: Quis permittit homini, quæ donare deo reseruanda sunt? Dubium enim non est quin sic emendandus sit hic locus: Quis permittit homini donare, quæ deo reseruãda sunt? Et huiusmodi quidem emendationem vera huius rescripti sententia postulat. Nam illud idem omnino visus est in hoc loco Iustinianus voluisse, quod apud Vlpianum his verbis expressum legimus: Ex eo tẽpore quis iure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est. capit. xlij. de test. milit. Hoc est, ex quo in aliquam cohortem receptus est. Tunc enim in numeros referri

ferri milites solent, siue, vt ait Iustinianus, in tribunatu numerorum mereri. Pupillum autem pubertati proximum in numeros referri potuisse, auctor est libro primo Vegetius, cap. iiij. Si antiqua, inquit, consuetudo seruanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Huic etiam consentaneum est quod sic Plinius Epist. libro octauo scribit: Inde adolescentuli statim castrensibus stipendijs imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere dum sequuntur assuescerent. Et idcirco quod Iustinianus de pupillo scribit, qui in tribunatu numerorum meretur, illud ad incipientem pubertatem quæ ad delectum cogi potest, omnino referendum videtur.

Quæ fuerit vindicta manumittendi ratio.

CAPVT IX.

MANVMISSIO, inquit Hermogenianus, per lictores hodie domino tacente expediri solet, & verba solemnia licet nõ dicantur, tamẽ vt dicta accipiũtur. cap. xxiij. de manumis. vind. Quę fuerint hęc solemnia verba ignorãt interpretes. Ego didici vindicta apud veteres sic manumissionem fieri cõsueuisse, vt dominus apud prætorẽ vel cõsulem Romæ, & in prouincijs apud præsidẽ aut procõsulẽ, serui quẽ vindicta manumitti volebat caput, aut aliud

aut aliud membrum tenẽs, hęc verba ſolemnia pronuntiaret, HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO, & emittebat eum è manu, auctore Feſto, de verb. ſig. lib. xj. Tunc prætor vindicta, eiuſdem ſerui qui manumittendus erat, capiti impoſita, hac vti formula ſolebat: AIO TE LIBERVM MORE QVIRITIVM. Et licet hac formula famulus eſſet iugo laxatus herili; vt vtar Claudiani verbis; tamen ad lictorem, per quem expediri manumiſſionem ſolere teſtis eſt Hermogenianus, prætor conuerſus, hæc quoque videtur ſolemnia verba pronuntiaſſe, SECVNDVM SVAM CAVSSAM SICVTI DIXI, ECCE TIBI VINDICTA. Tunc à prętore accepta vindicta, caput ſerui viſus eſt etiã lictor percuſſiſſe, faciem palma tergúmque feſtuca verberaſſe. Idque ſatis ex Iuuenali conſtat. Sic enim Sat. v. ſcribit:

———Pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Et hæ quidem tres formulæ, illa fuiſſe ſolemnia verba videntur, quorum meminit Hermogenianus. Valerius Probus in libello de litteris antiquis poſtremam hanc formulam recenſet: eique proximam ex manuſcripto auctoris cuiuſdam incerti De verbis iuris antiquiſſimo libello, quem habeo, deſumpſi. In quo ſic de vindicta ſcriptum inueni: Vindicta eſt modus manumittendi, dicta hoc nomine, à Vindice Vitellio-

telliorum ſeruo, qui coniurationem dominorum ſuorum contra rempublicam detexit, & ideo apud conſilium donatus eſt libertate. Modus manumittendi dicitur vindicta. Secundùm verò quoſdam à vindicta virga prætoris hoc nomen tractum eſt, quam imponebat capiti illius, qui manumittendus erat, hæc ſolemnia proferẽs verba: AIO TE LIBERVM MORE QVIRITIVM. Hactenus ille. Porro ſimulatque peracta eſſet huiuſmodi manumiſſio, ſtatim in acta nomen manumiſſi referebatur, adiecta manumiſſionis cauſſa. Certè quia ſic in Adelphis ſcripſit Terentius:

———Ædepol hodie mea quidem ſententia
Iudico Syrum fieri eſſe æquum liberum. M. Iſtunc liberum?
Quodnam ob factum?

In hunc enim locum ad hæc verba, *Quodnam ob factum*, ſic ſcribit Donatus: Iure; adſcribi enim cauſſas manumiſſionis in iure formula eſt. Nomen autem manumiſſi in acta referri olim conſueuiſſe, Plautus auctor eſt qui ſic in Perſa ſcribit: *——— Dic bona fide, iam libera eſt?*

DO. I, i, ad prætorem, exquire, ſiquidem credere non vis mihi.
Libera eſt inquam, ecquid audis?

Idem Plautus, quod vindictam dicunt iuriſconſulti, illud appellaſſe feſtucam viſus eſt, in Milite glorioſo, his verbis:

Quid, ea ingenua, an feſtuca facta, ſerua an libera eſt?

PA. Vah, egóne vt ad te ab libertina esse auderem internuntius?

Et idcirco rectius à virga prætoris, quàm à Vindice Vitelliorum seruo, appellatam esse vindictam puto.

Qui puberes, & quid habitus corporis sit, insignísque Triboniani error demonstratur.

CAPVT X.

PVBERTATEM veteres nõ solùm ex annis, sed etiam ex habitu corporis æstimari voluisse, refert Iustinianus §. 1. Institut. Quibus mod. tut. fi. Habitúmque corporis ad obscœnam quandam indagationem referens Accursius, auctores Iustinianum & Paulum laudat. Paulus certè huiùsmodi interpretationem nequaquam admittit. Agit enim de eo qui ex habitu corporis maior est declaratus. Haud dubiè per habitum corporis, non indagationem aliquam inhonestam, sed vniuersi corporis dispositionem figuram ac formam intelligens. Iustinianus verò tã est huius Accursianæ opinionis manifestus auctor, vt tantus tanti imperatoris error excusari aut diutius dissimulari nequeat. Nostra, inquit, maiestas dignum esse caestitate nostrorum temporum existimans, bene putauit, quod in feminis, etiam antiquis impudicum visum est, hoc est inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam ad masculos extendere. d. §. i. & ca. vlt. C. quando tut. vel curat. Profectò

fectò quotquot sunt qui puberes definiuerunt auctores veteres, nusquã huiusmodi improbitatis meminerunt: sed puberes vel ex corporis habitu, vel ex certo annorum numero, vel ex vtroq; iudicandos responderunt. Non per habitum corporis inhonestam aliquam inspectionem, vt sibi suoque Iustiniano rudi & illiterato principi persuasit Tribonianus; sed cũ Cicerone & Liuio, vniuersi corporis formam, figuram, ac dispositionem, siue aliquam corporis totius ad liberorum procreationem natura prorsus idoneam, commoditatem intelligentes. Cicero pro Cœlio: Quinctus Metellus cùm floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, ereptus est ciuitati. Liuius lib. iiij. Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus, pallore ac macie perempti. Puberem, inquit Vlpianus, Cassiani eum esse dicũt, qui habitu corporis pubes apparet, hoc est, qui generare potest. Quasi dicat Vlpianus, is ex Cassianorũ sententia pubes appellandus est, cuius vniuersa corporis dispositio satis ad liberorum procreationem facilè videri cuiuis potest idonea. Proculeij autem eum dicebant esse puberem, qui quatuordecim annos expleuerat. Verùm Priscus in quem vtrumque concurrit, & habitus corporis, & annorum numerus, puberem definiuit. Et hæc quidem sic in fragmen. referens Vlpianus, cuius olim obtinuerit sententia non expressit. Sanè receptam fuisse Proculeiorum

sententiam non obscurè docuit Tertullianus, in lib. de virg.veland. Tempus, inquit, etiam ethnici obseruant, vt ex lege naturæ iura sua ætatibus reddãt. Nam feminas quidem à duodecim annis, masculos verò à duobus amplius, ad negotia mittunt; pubertatem in annis, non sponsalibus aut nuptijs decernentes. Ex quo loco manifestò constat, Proculeiorum sententiam in vsum olim fuisse receptam. Illi enim in annis pubertatem, non sponsalibus aut nuptijs decernebant; hoc est, ex annorum numero, non ex habitu corporis puberem iudicabant. Ceterùm si Tertulliani auctoritate non moueris, inspice Macrobium, in Somnium Scipionis libro primo, qui te docebit, tutelam pueris post bis septem annos, quasi virile iam robur habentibus absolui, deque ea feminas propter votorum festinationem maturius biennio legibus liberari. Idem Macrobius sic etiam Saturnal. lib. vij. ca. vij. scribit: Secundùm iura publica duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero definiuit pubertatis ætatem. Nec quidem Tertulliani duntaxat & Macrobij auctoritatibus nostra hæc confirmatur opinio, sed expressis etiam Vlpiani verbis. Moribus enim introductum esse ait Vlpianus, vt quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos peruenerint, feminæ ad duodecim. cap. ij. de vulg. & pupil. Adde masculos anno decimo quarto, etiam si

generare

generare non possent, ipso tamen facto puberes olim fuisse declaratos. Solent enim masculis ad annum vsque decimum quartum comæ nutriri. Idque clarissimè testatur sic Martialis.

Et pædagogo non iubente, lasciui
Parere gaudent villico capillati.

Tempore verò pubertatis, hoc est statim elapso quatuordecim annorum spatio, comæ in signum pubertatis pueris præcidebantur. Auctorem meum Porphyrionem in Horatium laudo, qui nunquam defugere auctoritatem poterit. Idque etiam satis indicat idem Martialis Epig. lib. vj. his versibus:

Hic iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus domini cura dolorque sui.
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.

Eoque etiam spectat quod sic Persius in Satyr. iij. scribit:

——Quibus indetonsa iuuentus
Inuigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Impuberes haud dubiè indetonsam appellans iuuentutem. Scribit etiam in Virgilium Iulius Sabinus, aris alicuius dei detonsas tempore pubertatis comas fuisse consecratas. Itaque ante Iustiniani tempora ex solo annorum numero, nulla habitus corporis habita ratione (vt de inhonesta indagatione, quæ planè commentitia est, taceam) puberes definiebantur. Intelligo

propemodum vnde in istud indagationis inhonestæ commentum Tribonianus inciderit. Audierat, opinor, voluisse Platonem conuenientiam ætatis ad nuptias, per iudicem nudos omnino mares, nudásque ad pubem vsque feminas inspicientem, definiri. Hinc cùm in iurisconsultorum libris habitum corporis legerat, continuò non dubitauit, quin eadem illa quam Plato excogitauerat, inspectio habitudinis corporis inhonesta, obseruari à prudẽtibus iuris præcipiatur. Equidem testor ingenuè, & affirmo, nullis mihi rationibus persuaderi posse, tantam improbitatem Romanos vnquam vel conniuẽtibus oculis in sua republica toleasse.

De vera sententia cap. j. C. De custod. reorum.

CAPVT XI.

IMPERATOR Constantinus ad Florentium rationalem sic scripsit: In quacunque caussa reo exhibito, siue accusator exiſtat, siue eum publicę solicitudinis cura produxerit, statim debet quæstio fieri, vt noxius puniatur, innocens absoluatur. ca. j. in prin. C. de custod. reorum. Cessante videlicet praua consuetudine, per quam reos carceri immittebant curiosi & stationarij. ca. i. C. de curios. Quænam hîc dicatur publicæ solicitudinis cura, & quid ea differat ab accusatore, & quęstio statim quomodo soleat fieri, nec docent nec didicerunt interpretes. Accusatoris nomen & ad speciẽ & ad genus trahi solet. Nam genere quodam omnes qui sceleris

leris alicuius apud magistratus aliquem insimulant, accusatores appellãtur. Quo sensu accusatorem tunc esse appellandum puto, cùm neminem dicimus sine accusatore damnandum esse. ca. vj. §. ij. de muner. & honor. Eoque pertinet quod in actis Apost. legimus, Romanis morem non esse hominem vllum ad necem condemnare, priusquam reus præsentes habuisset accusatores, & locum sui contra criminationes defendendi obtinuisset. Adde illud Ambrosij ad Syagrium: Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt. Idque etiam in quadam de Auidio Cassio, diui Marci epistola expressum inuenimus, apud Vulcatium Gallicanum: Adde, inquit diuus Marcus, quòd non possumus reum facere, quem nullus accusat. Alio modo accusator appellatur, qui proprio nomine subscripto accusationem libello delatam sustinet. De quo scribit sic Apuleius in Apologia secunda: Vbi illud libelli vestri atrox principium, nomine priuigni mei formatum, *Hunc ego domine Maxime reum apud te facere instituo?* Et de huiusmodi quidem accusatore accipienda sunt hæc Constantini verba, *Siue accusator exiſtat*. Quod autem de publicæ solicitudinis cura subijcit idem imperator, illud mihi ad militarem illam stationẽ spectare videtur, de qua sic in Apologetico scribit Tertullian. Latronibus inuestigãdis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur. Hos milites irenarchas interdum, &

dum,& ſtationarios appellari, ab alijs eſt obſeruatum. Eóſque etiam curioſos à publicæ ſolicitudinis cura in lib.de fuga in perſecut. Tertullianum appellaſſe,argumento ca.j. C.de curioſis, non malè dixeris. Verba Tertulliani hæc ſunt: Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cùm in matricibus beneficiariorum & curioſorũ,inter tabernarios & lanios & fures balnearum & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. Quod autem de quæſtione ſubijcit Conſtantinus,illud ad antiquam eámque publicam habendæ quæſtionis rationem pertinet, qua ipſius Conſtantini tempore reus ſub metu imminentium tormentorum pendens,interrogari,examinari,& accuſari coram populo ſolebat,& quilibet accuſare volens audiebatur, ſtatimque reus aut noxius puniebatur,aut innocens abſoluebatur. Quem morem euidenter expreſſit Optatus Afer aduerſus Parmenianum lib.j.his verbis:Tunc Conſtantinus ad Cæcilianum proconſulem ſcripſit, vt remotis neceſſitatibus publicis, de vita Felicis Autumnitani publicè quæreretur. Inductus eſt Claudius Saturianus curator reipublicæ, qui fuit tempore perſecutionis in ciuitate Felicis:et curator præſentis tunc temporis,quando cauſſa flagitabatur, Callidius Gratianus: & magiſtratus Alfius Cæcilianus: ſed & ſuperſtationarius perductus, & Ingentius ſcriba publicus. Pependit ſub metu imminentium tormentorum. Reſponſis

Reſponſis omnium nihil tale inuentum eſt, quod vitam Felicis epiſcopi ſordidare potuiſſet. Habentur volumina actorum in quibus continentur præſentium nomina, Claudij Saturiani curatoris, & Cæciliani magiſtratus, & ſuperſtationarij, & ſcribæ Ingentij, & Solonis officialis publici ipſius temporis. Poſt quorum reſponſa à ſuprà memorato proconſule, hæc pars ſententiæ dicta eſt: *Felicem autem religioſum epiſcopum liberum eſſe ab excuſtione inſtrumentorum deificorum manifeſtum eſt, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit,quòd religioſiſſimas ſcripturas prodiderit*. Hactenus Optatus. Huius etiam ſententiæ & quæſtionis meminit diuus Auguſtinus aduerſus Creſconium Grammaticum libro iij. Et ad hunc quidem habendæ coram populo quęſtionis morem non dubito quin in hoc cap. j.de cuſt. reor. reſpexerit omnino Cõſtantinus. Cuius etiam meminiſſe viſus eſt Hilarius, cùm ſic ad Conſtantium Auguſtum ſcriberet: Sacerdotes carceribus continentur, plebs in cuſtodiam catenati ordinis conſtricta diſponitur, virgines nudantur ad pœnam, ſacrata deo corpora publico expoſita conſpectui, ad fructum ſpectaculi & quæſtionis aptantur.

Quæ dicatur materfamiliâs.

CAPVT XII.

NOVVM non eſt, vt pro ratione temporis verborum amplientur, coarctentur, & interdum mutentur ſignificationes.

De mutatione illud constat, quos veteres dicebant perduelles, eos nunc hostes appellari, & perduellionis nomen ad aliam quandam, eámque certam criminis speciem translatum esse. Hostis, inquit Festus, apud antiquos peregrinus dicebatur; & qui nunc hostis, perduellis. Decemuiri venditionem omnem appellabant alienationem, & pacisci generis loco vsi sunt; quæ verba ad speciem traxerunt postea prætores & iurisconsulti. Auctor est etiam Festus, *emere* quod nunc est mercari, pro *sumere* antiquos accepisse. Et ita verbum quod latissimum erat, in angustam interdum significationem coëgerunt. Contrà, matrisfamilias vocabulum ex angustissima significatione in vsum latissimum tandem prorupit. Nam si Nonio credimus, eam duntaxat vxorem dicebant veteres matremfamilias, quæ sæpius peperisset. Quo sensu matremfamilias definiuit etiã Festus. Materfamiliæ, inquit, non antè dicebatur, quàm vir eius paterfamiliæ dictus esset. Nec possunt hoc nomine plures in vna familia præter vnã appellari. Sed nec vidua hoc nomine, nec quæ sine filijs est, appellari potest. Ciceronis tempore hac voce *Materfamilias* latius paululum vsus est populus Romanus: omnésque feminas quæ in manum cõuenerant, matressamilias appellabant, etiam antequam perissent, etiamsi in parentum essent potestate. Hinc illa coëmptionis antiqua formula, VIS MIHI ESSE MATER FAMILIAS? Id ipsum testatur

testatur expressè Cicero in Topicis: Genus, inquit, est vxor, eius duæ formæ; vna matrumfamilias, hæ sunt quæ in manum conuenerunt; altera earum quæ tantummodo vxores habentur. Eoque arbitror Gellium respexisse lib. xviij. ca. vi. cùm ait matremfamiliâs appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu mancipioque aut in eius, in cuius maritus, manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum veniisset. Denique iurisconsulti non speciei amplius, sed generis loco matrissamiliâs vocabulo vsi sunt. Illi enim genere quodam, non in manus solùm conuentiones, aut natales, sed honestatem etiam matremfamiliâs facere definiuerunt. cap. iij. in fine. de lib. exhib. cap. xv. §. xi. de iniurijs. cap. xlvi. §. i. & cap. cxcv. §. i. de verb. sig. Adeo quidem, vt viduas, libertásque patronorum concubinas, puellas quæ sui iuris sunt, et omnes notæ auctoritatis feminas etiam matressamiliâs appellarent. cap. xli. de ritu nup. cap. iiij. de his qui sunt sui. cap. xxx. §. i. capit. xxxiiij. Sol. mat. cap. iij. in fine. de lib. exhib. Idque nec Tertullianus quidem visus est ignorasse, cùm sic in lib. de virginib. veland. scriberet: Materfamiliæ vocatur licet virgo, & paterfamiliæ licet inuestis. Proinde quis est qui non intelligat quàm hi incõsultè & iniquè fecerint, qui Nonium, Festum, Gellium, & ipsum etiam Ciceronem ignorãtiæ lapsu notare nõ verétur?

Quale

Quale fuerit iudicium de moribus, quod esse sublatum Iustinianus voluit.

CAPVT XIII.

AVCTOR est Asconius Pedianus regendis moribus ciuitatis quinto quoq; anno censores creari solitos, qui prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset eijceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in Ceritum tabulas referretur. Idem Asconius apud censores de moribus accusari, & vtriusque censoris sententia ciues Romanos solere condemnari, in Orat. Ciceronis contra Pisonem testatus est. Idque præter Asconium tradidit etiam expressè auctor ad Herennium Rhetoricorum libro secundo. Si nihil, inquit, eorum fieri poterit, vtatur extrema defensione, & dicat non se de moribus eius apud Censores, sed de criminibus aduersariorum apud iudices dicere. Donatus etiam sic in Terent. scribit: Censores morum alienorum habent summum arbitrium. Refert M. Varro de ling. lat. lib. v. prætorium ius ad legem et censorium iudicium ad æquum tunc æstimari, cùm de voluntate eius, qui filiam desponderat, controuersia est. Qui spoponderat, inquit Varro, despondisse dicebatur, quòd de sponte eius, id est voluntate exierat. Nō enim si nolebat dabat quod sponsu erat obligatus. Nam in comœdijs vides dici, *Sponden' tuam gnatam filio vxorem meo?* quod

quòd tum & prætorium ius ad legem, & censorium iudicium ad æquum æstimabatur. Ex quo loco satis intelligi potest, ad iudicium censorium sponsalitias etiam quæstiones pertinuisse. sic nimirum, vt is qui ex desponsationis caussa conueniebatur, olim aut ad prætorem aut ad censores duceretur. Ad censores quidem, vt de eius moribus improbis cognosceretur, qui desponsatam puellam, domum vxorem duci non patiebatur: ad prætorem verò, vt ex sponsu is idem conueniretur. Si is qui spoponderat, non seriò sed animo potius iocandi apud censores diceret se filiam despondisse, censorium iudicium ad æquum sic æstimabatur, vt de eius qui desponderat, animo diligenter inquireretur: eoque probè perspecto, quod æquitas suaderet, adhibita interdum cēsurę nota statueretur. Quòd si non apud censores, sed in iure apud prętorem is qui despōderat, ex sponsu conuentus, animo duntaxat iocandi diceret se despondisse; sic prætorium ius ad legem æstimabatur, vt addita huiusmodi exceptione, *Si non iocandi animo spoponderit*, ex spōsu daretur actio. Hinc propemodum intelligere mihi nunc videor, quid sibi voluerit A. Gellius lib. iiij. capit. xx. cùm ita scriberet: *Censor agebat de vxoribus solēne iusiurandum. Verba hæc erant ita concepta:* ET TV EX ANIMI TVI SENTENTIA VXOREM HABES? Ex hoc enim loco posse liquidò probari videtur, nō de quæstionibus duntaxat sponsalitijs

salitijs, sed de maritorum etiam & vxorum moribus, censores cognouisse. Idque in ea Oratione quam de dote scripsit, testatur etiam M. Cato. Vir, inquit, cùm diuortium fecit, mulieri iudex pro censore est. Quibus consentaneum etiam est, quod sic Cicero de orat. lib. ij. scribit: Ridiculè etiam illud L. Portius Nasica censori Catoni, cùm ille, *Ex tui animi sententia tu vxorem habes? Non hercule*, inquit, *ex animi tui sententia.* Solenne iusiurandũ arbitror Gellium appellare iuramentum quod annis singulis, à maritatis ciuibus Ro. singulis, de vxoribus earúmq; moribus exigebatur. Sic enim solẽne iusiurandũ accipi posse, auctor est Tacitus Annal. li. xvi. Quin & illa, inquit, obiectabat, principio anni vitare Trascam solenne iusiurandũ, nuncupationibus votorum non adesse, quanuis Quindecimuirali sacerdotio præditum. Eoq; sensu solennia munera, & solennia patrimoniorum onera dixerũt etiam iurisconsulti. ca. xij. §. penult. de administ. tut. cap. ij. de veteranis. Cùm autẽ solenne iuramentũ istud exigebatur, tunc si ex animi sententia vxorẽ se nõ habere, aut vxori iussisse propter eius mores prauos res suas sibi habere, censoribus responderet maritus, videtur ad iudiciũ censorium etiam pertinuisse, de moribus vxoris inquirere, cognoscere, &, si res ita postulare videretur, pronuntiare, imò etiam vxores coërcere. Eoque visus est respexisse Paulus, qui de pacto dotali differens, ait conueniri non posse, ne de moribus

moribus agatur, ne publica coërcitio priuata pactione tollatur. cap. v. de pactis dot. Haud dubiè per publicam coërcitionem censorium iudicium intelligens. De quo iudicio accipiendum etiam videtur quod sic Papinianus scribit: Viro & vxore mores inuicem accusantibus, caussam repudij dedisse vtrumque pronuntiatum est. ca. xxxix. Solut. mat. Et sic quidem satis esse perspicuum puto, de vxorum maritorúmque moribus olim apud censores litigari consueuisse. An autem statò, an verò solenni tempore iudicium istud cõsueuerit exerceri, antiquiores litteræ nõ declarant, etiamsi de iuramento solenni scripserit expressè Gellius. Ceterùm quis fuerit iudicij de moribus effectus, optimè explicat in frag. Vlpianus tit. vi. Morum, inquit, nomine, grauiorum quidem sextæ retinentur, leuiorum autem octauæ: grauiores mores sunt adulteria, leuiores omnes reliqui. Eoq; referri potest cap. xlvij. D. Sol. mat. & cap. xi. §. fi. Ad L. Iul. de adult. Igitur si moribus vxoris diuortium factum esse à censoribus pronuntiaretur, tũc maritus sextam aut octauam dotis partem tanquam dissidij pœnam retinebat: ca. viij. de capt. & post. reuers. sin contrà mariti moribus accidisset, vt à marito diuerteret ad amicos vxor, quominus pari ratione rerum propter nuptias donatarum certam aliquam partem vxor consequeretur, nihil mihi videtur obstitisse. Si autẽ viro & vxore mores inuicẽ accusãtibus, vtrũq; caussã dedisse repudij pronun-

pronuntiarent censores, nec ex mariti bonis vxor, nec ex bonis vxoris maritus quicquam consequebatur.d.cap.xxxix. Esse autem iudicium de moribus personale, nec heredi nec in heredem tribui, auctor est Constantinus,qui sic scripsit: De moribus actio vltra personam extendi non potest,nec in heredem habetur,nec tribuetur heredi. cap.iiij.C. Th. de incæst.nupt. Et ex his quidem omnibus, satis esse perspicuum puto,quo sensu accipiendus sit hic titulus,*De repudijs,& iudicio de moribus sublato.* qui extat in Codicis Iustiniani Cæsaris libro quinto.

Notatur Iustiniani constitutio, de tempore dirimendis ciuilibus controuersijs præfinito.

CAPVT XIIII.

MVLTA Tribonianum suo principi Iustiniano velut auctori primo adscribere non dubitasse,quæ tamen multo ante Iustinianum tempore ab alijs principibus iurisque conditoribus statuta fuerant,manifestissimis aliquot argumentis est à nobis sæpius demonstratum. Huius etiam generis est quod ait Tribonianus, Iustinianum dirimẽdis ciuilibus controuersijs,ne lites fiant immortales, vitęque humanæ excedant modum, triennium præfinisse.cap. xi. in princ.C.de iudicijs. Hoc enim iure ante Iustinianum vsos fuisse ciues Romanos,omnésque populos qui sub Romano degebant

bant imperio, testis cuidẽtissimus est Sidonius Apollinaris.Sic enim Epist.lib.viij.scribit: Per ipsum fere tempus, vt decẽuiraliter loquar, lex de præscriptione triennij fuerat proquiritata. Cuius peremptorijs abolita rubricis, lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur. Hãc intra Gallias antè nescitam primus, quem loquimur,orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus,prodidit partibus,addidit titulis,frequente conuentu,raro cedẽte,paucis sententijs,multis laudibus.Hæc Sidonius.Si dixeris ius antiquum abolitum desuetudine, rursus à Iustiniano restitutũ fuisse in statum pristinum, id esse verum constantissimè negabo, tum quòd sic non scribat Iustinianus quasi ius abolitum velit restituere,tum etiam quód Sidonius Apollinaris sub Anthemio, Leone, & Zenone imperatoribus vixerit:quibus temporibus ius illud quod Iustiniano, tanquam eius auctori primo et inuẽtori tribuitur,erat in vsu.Et quia Zenoni successit in imperio Iustinus Iustiniani pater,idcirco etiã ius illud,quod erat in vsu Zenone imperãte,statim Iustiniano imperiũ adepto, sic in desuetudinem abijsse nõ est verisimile,vt tãdem noua aliqua Iustiniani op⁹ haberet dispositione.

Ad L.xv.D.De iureiurando.

CAPVT XV.

PAVLVS scribit,ad egregias personas domum mitti oportere ad iurandum. dict. ca.xv.Pauli responsum istud sic esse intelligẽdum,

ligendum,vt in publicis iudicijs ad egregias potentia dignitateque personas, testimonij causſa prętor,hoc est quęsitor ipse domum mitteretur, qui personas huiusmodi iuratas domi interrogaret,apertè testatus est Cornelius Tacitus, Annalium lib.ij. Ceterùm Vrgulaniæ, inquit, potentia adeo nimia ciuitati fuit,vt testis in causſa quadam venire dedignaretur.Missus est prætor qui domi interrogaret:cùm virgines Vestales in foro & in iudicio audiri quoties testimonium dicerent,vetus mos fuerit.

De iustis vxoribus, & iniustis.

CAPVT XVI.

VXOR alia iusta est,alia iniusta. cap.xiij. §.i.Ad l.Iul. de adul.Iusta est quæ in manum viri conuenit,vsu,farre, aut coëmptione :iniusta, quam sola consuetudo vxorem facit,& cum qua ius esse connubij leges non patiuntur.De hac duplici vxorum specie sic scribit in Topicis Cicero: Genus est vxor;eius duæ formę,vna matrumfamiliâs,hę sunt quę, in manum conuenerunt;altera earum quæ tātummodo vxores habentur. Quem locum interpretans Boëtius, malè vsu vxores ad alteram hanc vxorum speciem retulit,quæ tātummodo vxores habentur. Ait enim Cicero vxores omnes quæ in manus conuenerunt, ad priorem speciem referendas esse. Idem Cicero, nō farre aut coëmptione duntaxat;sed vsu etiam in manum conueniri expresſè

pressè testatus est pro L.Flacco, his verbis: In manum,inquit,cōuenerat.Nūc audio; sed quæro vtrum vsu, an coëmptione ? Proinde non est dubium quin aliò apud Ciceronem referēda sit illa vxorū species,quæ matresſamiliâs nō erant, nimirum ad vxores iniustas. Qui ciuem Romanam vitiauerat, aut eam indotatam ducere, aut si hoc recusaret, capitis argui consueuit, nec intererat filiúsne familiâs esſet, an paterfamiliâs. Idque in Adelphis testatur expresſè Terentius, his versibus:

———Fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. M. Ecce autem.D.Noua,
Capitalia.M.Obe iā.D.Nescis qui vir sit.M.Scio.
D.Ah stulte,tu de psaltria me putas agere,
Hoc peccatum est in virginem ciuem: M. Scio.

Et paulò pòst: (*habet.*

Puer natus est.M.Dij bene vortant.D.Virgo nihil
M.Audiui.D.Et ducenda indotata est.M.Scilicet.

Idipsum testatus est etiam in Aulularia Plautus, cùm Lyconidem adolescentem, qui Euclionis filiam vitiauerat,sic loquentem introducit:

Quin tu eā inuenies,inquā,meā esse oportere Euclio.

Eoque visus est respexisse Martianus, sic de eo qui cum ingenua muliere cōsuetudinem habet, differens: Sed necesse est ei vel vxorem eam habere,vel hoc recusantem stuprum cum ea committere.ca.iij.de cōcu. Et hoc nimirū illud est, quod sic Modestinus scribit:In libere mulieris consuetudine, non concubinatus, sed nuptiæ

intelligendæ ſunt.cap.xxiiij.de ritu nupt.Igitur ciuem Romanam honeſtę vitæ & ingenuam vitiatam, is qui vitiauit, ſola conſuetudine, ſine aliqua in manus conuẽtione, vxorem nanciſcitur. Quam ſi domum ducere noluerit, ſtupri arguitur, eiúſque pœna coërcetur. cap. xxxiiij. Ad L. Iul. de adult. Donatus in Terent. Ducenda inquit eſt indotata niſi damnandus ſit Æſchinus. Eaque vxor ideo iniuſta dicebatur, quòd non ritè domum per aliquam in manus cõuentionem ducta eſſet. Per quam conuentionem ſi tandem duceretur, fieri ex iniuſta vxor iuſta ſolebat. Quo ſenſu matremfamiliâs viſus eſt accepiſſe Terent. in Adelphis, cũ ita ſcriberet:

Meretrix, materfamiliâs, erit vna in domo?

Per meretricem pſaltriam intelligẽs, Cteſiphonis amicam; & per matremfamiliâs, ciuem illam virginem, quam Æſchinus vitiauerat, & poſtea patris conſenſu iure riteque domum ducturus erat. Iniuſtæ etiam vxores ſunt, quę ducí legibus prohibentur. veluti ſi famoſam quis vxorem duxerit, aut libertinam ſenator, licet lege Iulia & Papia huiuſmodi prohibitæ ſint nuptiæ, tamen contractæ non diſſoluuntur: ſed hac pœna qui nuptias huiuſmodi contrahunt plectuntur, vt nec iuſtam vxorem habeant, nec procreent liberos iuſtos, ſed ſpurios. Idque ſatis indicat in fragmentis Vlpianus, tit. xvj. Aliquando, inquit, nihil inter ſe capiunt vir & vxor, id eſt ſi contra legem Iuliam & Papiam Popœam

Popœam cõtraxerint matrimonium. Verbi gratia, ſi famoſam quis vxorem duxerit, aut libertinam ſenator. Ecce, docet expreſsè Vlpianus contra legem Iuliam & Papiam poſſe matrimonium, ſiue (vt idem Vlpianus cap. x. de cond. & dem. ſcribit) nuptiale iugum contrahi, licet matrimonium illud iuſtum legitimúmque non ſit, & per hoc nihil capere vir ex vxoris, & vxor ex mariti bonis teſtamento potuerit. cap. j. Vnde vir & vxor. An igitur ſolui neceſſariò debuiſſe, & ad mortem alterutrius durare huiuſmodi matrimoniũ dicemus non potuiſſe? Sanè Cic. huiuſmodi matrimonia diſſolui ſub hoc prætextu non conſueuiſſe, quòd eſſent legibus contraria, his verbis docet in Top. Si mulier cùm fuiſſet nupta cum eo quicum connubij ius non eſſet, nuntium remiſit, quoniã qui nati ſunt patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Senſus enim eſt; ſi quo caſu diuortium inter eos factum ſit, qui matrimonium contta leges contraxerunt, quia patrem liberi non ſequuntur, hoc eſt, quia liberi ſpurij ſunt, pro liberis manere nihil oportet. Huc etiam arbitror Celſum reſpexiſſe cùm ita ſcriberet: Cùm legitimæ nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur. cap. xix. de ſtatu hom. Vult enim Celſus liberos ex iuſtis nuptijs procreatos patrem, ex iniuſtis matrem tanquã ſpurios & vulgò quæſitos ſequi. Proinde quod Vlpianus ait libertinam vxorem quam ſenator duxit, quandiu

maritus in ordine senatorio est, vxorẽ non esse, sed amissa dignitate vxorem esse incipere, cap. xxvij. de ritu nupt. hoc sic esse intelligendum videtur, vt iusta vxor nõ sit libertina quam senator duxit, eámque esse iustã incipere simul atq; senatoria dignitas deposita est. ca. j. Vnde vir & vxor. Et sic quidem vxoris nomen interdum accipi posse, Ambrosius ignorasse non videtur, ad hunc modum in sermone lxv. scribens: Mulier igitur tua, si talibus moribus prædita est vt mereatur consortiũ, mereatur & nomen vxoris, præsta concubinę tuæ libertatẽ & nomen vxoris, ne tu adulter sis potius quàm maritus. In hoc enim loco per nomẽ vxoris, iustã haud dubiè vxorem intelligit Ambros. ea nimirum ratione, qua nuptias contra legem Iuliã & Papiã contractas, nuptias non esse Paulus & Modestin. scribunt, ca. xv. & xlii. de ritu nupt. Paulũ enim & Modestinum de iustis nuptijs sensisse, dubium nõ est. Et sic quidẽ satis esse manifestum puto nuptiarum vxorúmq; nomine interdũ iustas, interdum iniustas cõtineri: eadémq; ratione matrimonium pro argumẽti subiecti qualitate interdum vt iustum, interdum vt iniustum accipiẽdum esse in responsis prudentũ, ex Vlpiano constat. ca. xvii. rer. amot. Idq; mirum in modũ confirmatur alio quodam Vlpiani responso. Si senatori, inquit Vlpian. indulgentia principis fuerit permissum libertinã iustam vxorẽ habere, potest iusta vxor esse. ca. xxxi. d. rit. nupt. Ecce, non ait Vlp. si indulgen-

dulgẽtia principis fuerit senatori permissum libertinam vxorem habere, sed libertinam habere iustam vxorem: hoc est, si senatori, eam, quam contra legem Iuliam & Papiam vxorem duxit, libertinam permiserit princeps loco vxoris iustæ habere; hac indulgentia principis, vxor quæ iniusta fuerat, iniusta esse desinit, & iusta efficitur. Igitur ex iniusta hic apud Vlpianum iustam facere dicitur senatoris vxorem indulgentia principis. Et idcirco quod Iustinianus apud Vlpianum quæsitum esse ait, si libertã quis vxorem habeat, deinde senator fiat, an soluatur matrimonium, quia lex Papia inter senatores & libertas stare connubia nõ patitur, ca. fi. C. de nuptijs: id illius hominis aridum commentum est, qui nec Papię legis nec Vlpiani intentionẽ probè satis videtur assecutus: nempe Triboniani. Quia enim lege Papia senatores libertinas vxores ducere prohibentur, & quia sic scripserat ad eandem legem Vlpianus, *Quamuis interim vxor nõ sit*, ca. xxvii. de ritu nupt. hæc Vlpiani verba non magis intelligens quàm Papiæ legis intentionem, in eum errorem incidisse visus est idem Tribonianus, vt existimauerit huiusmodi matrimonia quòd nõ essent legitima, dissolui consueuisse: idq; sibi & legem Papiam & Vlpianum eius interpretem voluisse. Illius interim respõsi omnino immemor, quod in titulum Ad municipalem, ex libro primo Callistrati de cognitionibus, à librarijs suis translatum est. Ait enim

expreſsè Calliſtratus, mulieres quæ in matrimonium ſe dederunt non legitimum, non ibi muneribus fungendas, vnde mariti earum, ſed vnde ipſæ ortæ ſunt. cap. xxxvii. Ad municipal. Ex quo loco (vt de ijs taceam quorum ſuprà meminimus) euidenter etiam intelligi poteſt, matrimonium contra leges contractum, diſſolui non conſueuiſſe. arg. cap. vlt. de leg. j. cap. ij. de his quæ vt indig. Ideoque non de ſoluendo matrimonio quicquam apud Vlpianum fuiſſe quæſitum puto, ſed potius an connubium eſſe deſinat, hoc eſt, an vxor illa quam iuſtè & legitimè ante ſenatoriam dignitatem maritus duxerat, iuſta vxor viro in ordinem ſenatorium adlecto eſſe deſinat, & iniuſta fiat. Sic enim accipiendum eſſe caput xxvij. de ritu nupt. demonſtrauimus, ex quo capite omnino fit mihi veriſimile, in hunc errorem Tribonianum incidiſſe. Leges etiam ciuem Romanũ Romanam ciuem minorem duodecim annis, latinam aut peregrinam, vel eam quę dedititiarum numero eſt, ducere, ciuémque Romanam latino, peregrino, aut dedititio nubere vetabant. Et quanuis connubium inter huiuſmodi perſonas eſſe non poſſit, matrimonium tamen nõ prohibetur. cap. xiij. §. vj. Ad l. Iul. de adult. L. xxiiij. in fi. d. tit. Sed quia matrimonium illud iuſtum non eſt, idcirco liberi in patris non ſunt poteſtate, vxor inter iniuſtas vxores numeratur, & quaſi ab indignis ea quæ donata ſunt, ablata fiſco vindicantur. cap. xxxij. in

xxxij. in fi. d. do. int. vir. & vx. Delinquunt enim hi, qui prohibitas nuptias contrahunt, cap. vlt. de leg. j. cap. ij. de his quæ vt indig. auf. Idque etiam ex Vlpiani tit. v. & vij. dilucidè probari poteſt. Ad iniuſtas vxores illæ etiam vxores referendæ ſunt, quas ſine parentum conſenſu filij familiâs ducũt. idq; mihi voluiſſe viſus eſt Paulus Sent. lib. ij. tit. xix. cùm ita ſcriberet. Eorum qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate eius matrimonia iure non contrahũtur, ſed contracta non ſoluuntur. Dixit Paulus, *Iure non contrahuntur*, prõ eo quod eſt, nec vſu, nec farre neq; coëmptione. Ijs enim tribus duntaxat modis olim iure, &, vt vtar Tertulliani verbo, ritè, vel (vt Tryphoninus loquitur) ciuiliter cõtrahi matrimonia ſolent. cap. xxviij. §. iij. in fi. de lib. & poſt. Tertull. lib. ij. ad vxorem: Nam nec in terris, inquit, filij ſine conſenſu patrum ritè & iure nubent. Sed contracta, inquit Paulus, non ſoluuntur. Quæ res efficit vt feminæ, quas ſine patrum conſenſu filij familiâs ducunt, inter vxores iniuſtas numerentur. Cur autem contracta non ſoluantur, conſuetudo in cauſſa eſt. Nam ſi is qui cum ingenua muliere conſuetudinẽ habet, etiamſi in patris ſit poteſtate, ſtupri cogatur quæſtionem pati, ſi vitiatam ciuem poſtquam abuſus eſt, domum non duxerit; quanto magis filius familiâs, eam quam ſine patris conſenſu duxit vxorẽ, in matrimonio retinere cogendus eſt? Idque mihi viſus eſt Paulus voluiſſe, cum ita

scriberet: *Contemplatio enim publicæ vtilitatis, priuatorum commodis præfertur*: hoc est, patriæ potestati cap.i.§.iij.de lib.exhib. Vtile siquidem publicè est, vitiatas virgines ingenuas, à suis vitiatoribus etiam inuitis domum vxores duci. Porrò iniusta huiusmodi vxor, iusta fieri per subsequentem in manus conuentionem potest, consensu parentum interueniente. Idque ex Apuleio constat lib. vi. de asino aureo. Cùm enim dixisset Apuleius, Veneri Cupidinis nuptias in villa sine testibus patre non consentiēte factas, legitimas non videri, statim subiecit, iniustas huiusmodi nuptias factas esse per in manus cōuentionem iustas, sic Iouem loquētem introducens: Iam faxo nuptias nō impares, sed legitimas & iuri ciuili congruas. Hæc etiā verba subijciens: Sic ecce Psyche conuenit in manum Cupidinis. Et hoc nimirum illud est quod Iulianus ita scribit: Nuptiæ inter easdem personas, nisi volentibus parentibus renouatæ iustæ non habentur. cap.xviij.de ritu nupt. Sensus enim est, nuptias sine consensu parentum contractas non aliter inter easdem personas pro iustis haberi, quàm si volentibus parentibus per in manus conuentionem essent renouatæ. Nūc videndum est, de quibus vxoribus iniustis accipi debeat quod sic Vlpianus scribit: Planè siue iusta vxor fuit, siue iniusta, accusationem instituere vir poterit: cap. xiij.§.1. Ad l. Iul. de adult. Vxores quæ vsu habebantur iniustas appellari non potuisse, ex Ciceronе

rone demōstratum est. Proinde ad omnes illas, de quibus hoc capite locuti sumus, iniustas vxores non dubito quin hoc responsum Vlpiani referendum sit. Quod quidem responsum sic est accipiēdum, vt dicamus nihil aliud Vlpianum voluisse, quàm maritum posse accusare vxorem, non iustam solùm, sed etiam iniustam: iustam quidem iure mariti, iniustā verò non mariti sed extranei iure. d. cap. xiij.§.ij. Interpretationem hanc nostram confirmat Sextus Cęcilius, quem ait Vlpianus scripsisse, legem Iuliam de adulterijs ad omnia matrimonia pertinere: hoc est, omnes vxores posse à suis maritis adulterij accusari, non autem omnes vxores à suis maritis iure mariti accusandas esse. Et hæc quidem omnia qnæ à nemine sunt animaduersa, esse digna quæ cognoscantur, & certissima puto.

De comitibus matrumfamiliâs & matronarum.

CAPVT XVII.

MORIS fuisse, vt sine comite materfamiliâs aut matrona nō prodiret in publicum, & idcirco non leuem iniuriam eisdem fieri ab ijs qui comites earum abducunt, testatur Vlpianus cap.xv.§.xi. & xij.cap.x. & ix.de iniurijs. Ad quem morem respexisse visus est Plautus in Amphytruone, vbi Alcumenam sic loquentem facit:

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas:
Iubeñ ire mihi comites? IV. Sanā es? AL. Si nō iubes
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.

De

De his comitibus sic loquitur diuus Hieronymus in epistola, quam ad Furiam Romanam nobilémque viduam scripsit: Noli ad publicum subinde procedere, & spadonum exercitu præeunte viduarum circumferri libertate. Et paulò post: Nec procurator calamistratus nec formosus collactaneus, nec candidulus, & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Idem Hieronymus in alia quadam epistola, de institutione filiæ differens, quam pia mater Christo & virginitati consecrauerat, sic Letæ scribit: Placeat ei comes non compta, neque formosa, atque lasciua, quæ liquido guttere carmen dulce moduletur; sed grauis, pallens, sordidata, subtristis. Addatur illud eiusdem Hieronymi, ad Demetriadem virginem: Graues feminæ, & maximè viduæ ac virgines, tibi comites eligantur, quarum prabata est conuersatio, sermo moderatus, sancta verecundia. Et paulò post: Mores enim & studia dominarum, plerunque ex ancillarum & comitum moribus iudicantur.

Verus intellectus L. Ob æs alienum, C. De obligat. & actionib.

CAPVT XVIII.

SVBLATA de nexis lege decemuirali, non omnino debitores creditoribus addici desierunt. Fuit enim in vsu addictio quædam voluntaria, qua se in voluntariam seruitutem tamdiu addici debitores patiebãtur, donec

suis creditoribus satisfeciſſent. Idq; testatus est expresse Varro, sic de lingua latina lib. vi. scribens: Liber homo qui suas operas pro pecunia quam debeat, dat, dum soluerit, nexus vocatur, vt ab ære obęratus. Deq; huiusmodi addictione omnino sentire visus est Diocletianus, cùm ita scriberet: Ob ęs alienũ seruire liberos creditoribus iura cõpelli non patiũtur. ca. xij. C. de obl. & act. Inuiti ergo creditoribus debitores seruire non cogũtur, sed rectè inuiti in carcerem detrahuntur. ca. i. C. qui bo. ced. pos. Et sic pœnã carceris volũtaria seruitute effugere, si vellent, poterant. De qua pœna scribit ad hunc modum in libro de Tobia diuus Ambrosius: Offertur pecunia creditori; vix inquit hæc soluit vsuram: caput debes. Reddit exhausto patrimonio capitis reus, & imminuto accipit fœnore, accipit inducias tristiores bellicis, quasi post biduum prælicaturus. In bello enim victoria incerta, hîc certa inopia: illic se clypeo tegit, hîc nudus occurrit: illic lorica pectus includit, hîc totus carcere includitur: illic manus telis onerat, arma sagittis, hîc ære vacuas offert vinculis alligandas. Ducitur plerũque vterque captiuus. Huic etiam consentaneum est quod idem Ambrosius sic Officiorum lib. i. scribit: Grandis culpa est, si te sciente fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, & non adiuues; si sit in carcere, & pœnis & supplicijs propter debitum aliquod iustus excrucietur. Eoque arbitror Licinium etiam

etiam Rufinum respexisse, cùm ita scriberet: Si victum vel stratum inferri iudicato non patiatur, vtilis in eũ pœnalis actio danda, vel, vt quidam putant, iniuriarum cum eo agi poterit. ca. xxxiiij. de re iudicat. Sensus enim est, eum pœnali vel iniuriarum actione teneri, qui non patitur ad debitorem suum condemnatum & in carcerem detrusum, victum vel stratum inferri. Aut igitur iudicati in volũtariam sese conijcere debebant seruitutem, aut certè hoc recusantes squalores pœnásque carceris, si iudicatæ pecuniæ non satisdarent, perferre ac pati. Idq; præter Ambrosium, testatus est etiam expresè Valer. sic de Tiberio Graccho lib. iiij. scribens: Cùm ex professo inimicitias cum Africano & Asiatico Scipionibus gereret, & Asiaticus iudicatæ pecuniæ satisdare non posset, atq; ideo à consule in vincula publica duci iussus esset, appellasséque collegium tribunorum; nullo volẽte intercedere secessit à collegis. Eoq; tacitè arbitror Vlpianũ respexisse, ca. xvj. in fine. de acceptilat.

Indicatur Triboniani facinus quoddam, & explicatur Vlpiani locus perdifficilis.

CAPVT XIX.

OLIM duobus modis solet rem venditam venditor emptoris facere, mãcipatione, & in iure cessione; quemadmodum in eo capite demonstratum est, quod de mancipationibus, libello ad leges duodecim tabularum singulari nuper inseruimus. Si res emptoris

ptoris non esset facta, hoc est nec data mancipio, nec in iure cessa, nec vsucapta, in bonis quidẽ iure gentiũ emptoris erat, iure verò Quiritium manebat venditoris. Antiquitatem hanc sustulit Iustinianus, & nuda traditione rem venditam, aut alio modo alienatã, emptoris alterius ue cuiusuis acquisitoris fieri voluit, sine aliquo mancipationis aut in iure cessionis medio. Hæc cùm ita sint, nunc propemodum intelligimus quid sentiendum sit de quodã Vlpiani responso, in quo sic scriptũ est: Qui vendidit, necesse non habet fundum emptoris facere, vt cogitur qui fundum stipulanti spopondit. ca. xxv. de cont. empt. Quia enim Vlpiani seculo in vsu mancipationẽ & in iure cessionem fuisse certissimum est, idcirco dubium etiã non videtur, quin ita scripserit Vlpian. *Qui vẽdidit, necesse habet fundum emptoris facere, vt cogitur qui fundum stipulanti spopondit.* Hoc est, venditor fundum mancipio dare, aut eo emptori in iure cedere compelli potest. Hoc enim est fundum emptoris facere. Ceterùm Tribonianus non ignorans Iustinianum antiqua rerum mancipi & nec mancipi sublata differentia, transferri nuda traditione rerum mancipi dominia voluisse, negationem adiecit, & sic scripsit: *Qui vendidit, necesse non habet*, &c. Nihil reprehendo. Iustinianus enim eam dedit Triboniano in prudentum responsis digerendis auctoritatem, vt illud omne quod pandectis inclusum est, ad sui tempo-

temporis rationem accommodari voluerit. Negligẽtiam tamen Triboniani vehementer accuſo, quòd vnica negatione contentus non potius ſic ſcripſerit: *Qui fundum vendidit, neceſſe non habet fundum emptoris facere, vt nec cogitur qui fundum ſtipulanti ſpopondit.* Non enim magis ſtipulanti promiſſus quàm venditus fundus, mancipatione aut in iure ceſſione, ſublata rerum mancipi & nec mancipi antiqua differentia, fieri emptoris debuit.

Verus intellectus L. Cum vir nubit, C. Ad legem Iul. de adult.

CAPVT XX.

NON ſatis cõſtat quid imperatores Conſtantius & Conſtãs ſibi voluerint, cùm ſic ſcriberent: Cùm vir nubit, in femina viros paritura quid cupiatur, vbi ſexus perdidit locum, vbi ſcelus eſt id quod nõ proficit ſcire, vbi venus mutatur in alteram formam, vbi amor quęritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei. d. l. Cùm vir nubit. Hanc conſtitutionem Accurſius ad eos traxiſſe videtur, qui muliebria patiebantur. Quæ quidem interpretatio, licet reijcienda omnino non ſit, verbis tamen & imperatorum intentioni non ſatisfacit. Proinde quòd ex ijs qui muliebria patiebantur, nonnulli habitum, vultum, & inceſſum muliebrem

brem ſic olim fingerent, vt ſub falſa quadam muliebri ſpecie, viris viri impudenter nuberent; dubium non eſt quin de ijs ſolis imperatores hîc ſenſerint, de quibus lib. vij. de prouidentia dei, ſcribit ad hunc modum Saluianus Maſſilienſis epiſcopus: Quis credere aut audire etiã poſſit, cõuertiſſe in muliebrem tolerãtiam viros non vſum ſuum tantùm atque naturam, ſed etiam vultum, inceſſum, habitum, & totum quicquid penitus aut in ſexu eſt, aut in vſu viri? adeo verſa in diuerſum omnia erant, vt cùm viris nihil magis pudori eſſe debeat, quàm ſi muliebre aliquid habere videantur; illic nihil viris quibuſdam turpius videretur, quàm ſi in aliquo viri viderẽtur. Et id quidem adeo verum fuiſſe teſtatus eſt paulò pòſt idem Saluianus, vt impuri huiuſmodi & ſcelerati viri, ſumentes habitum gradumque fingentes muliebrem, femineis tegminum illigamentis etiam capita velarent; haud dubiè quò ſub femineo habitu, & velamento, viri viris ſecurius nuberent. Cùm, inquit Saluianus, muliebrem habitum viri ſumerent, & magis muliebrem gradum fingerent, cùm indicia quædam monſtruoſæ impuritatis ſibi innecterent, & femineis tegminum illigamentis capita velarent, atq; hoc publicè in ciuitate Romana, vrbe illic ſumma & celeberrima: quid aliud quàm imperij dedecus erat, vt in medio reipublicæ ſinu execrandiſſimum nefas palàm liceret admitti? Quo in loco videndum eſt, an non

pro *mõstruosæ*, omnino *menstruosæ* legendum sit. Et magis est, nisi me decipit coniectura, vt legi sic debeat. Quasi dixerit Saluianus, non eos solùm habitum, formam & incessum muliebrem assumpsisse, sed etiam indicia quædam menstruosæ impuritatis sibi innexuisse. Et hæc quidem cùm ita sint, nunc opinor intelligimus, quid in hoc rescripto, quod ad populum Romanum dirigebatur, sibi voluerint imperatores. Nimirum si vir ita nubat viro, vt non vir sed femina viro nubere videatur, eo qui virum ducit fraudem non ignorante, volunt imperatores in vtrũque gladio animaduerti. Hæc autem verba: *In femina viros paritura quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum*, vitiosa esse, & sic restituenda puto: *Cùm vir nubit vt femina viris paritura, quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum?* & sic intelligenda; Cùm vir nubit vt femina viris paritura, cur ibi quæritur sexus vbi sexus perdidit locum? Cùm vir nubit vt femina, huiusmodi scelus est, cuiusmodi scire non proficit, inquiunt imperatores; credo quia sexus perdidit locum. Cùm vir nubit vt femina, venus mutatur in alteram formam. Quomodo? Ita nimirum, vt vir sub falsa muliebri siue venerea forma delitescat. Denique cùm vir nubit vt femina, amor queritur, & ille qui quæritur amor non videtur. Quæritur enim ab impuro marito abominanda quædam in virum libido viri; & quia sub forma muliebri libido huiusmodi, cùm vir vt femina nubit, occultatur,

cultatur, ideo ille qui quæritur amor non videtur. Nec sanè dubito, quin ad hanc constitutionem tunc etiam respexerit Saluianus, cùm potestatem arguebat, quòd scelus istud sciens pateretur perpetrari. Potestas quippe magna, inquit, & potentissima, quę inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cuius enim manu est vt prohibeat; iubet agi, si non prohibet admitti. Et ita quidem in manu fuisse videtur præfecti vrbis, præsidis, & proconsulis, ex hac constitutione ante tempora Saluiani dudum edita, in illos viros gladio animaduertere, qui vt feminæ viris nubebant. Eámque deinde animaduersionem neglectam suis temporibus à potestatibus fuisse, conqueritur optimus Saluianus.

* *
*

IAC. RÆVARDI I.C.

VARIORVM, SIVE DE IVRIS AMBIGVITATIBVS LIBER QVINTVS.

De veris agnationum cognationúmque differentijs.

CAPVT PRIMVM.

SANGVINEM A GENERE EXPRESÈ distinguit Liuius libro primo: Ne, inquit, grauarentur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. Per sanguinem haud dubiè naturalem, & per genus ciuilem originem intelligens. Omnis siquidem origo, vel est sanguinis, quæ ex solo naturali iure cõstat; vel est sanguinis & generis simul, quæ tam ciuili quàm naturali iure confirmatur; vel est denique generis tantùm, quam sola ciuilis agnouit ratio: cap. iiij. §. ij. de gradib. Diuiditur autem iure ciuili sanguinis coniunctio in gentem & in genus. Gens genus continet, non contrà genus gentem. Genus enim ad ciuile principium cuiusq; gentis trahitur, & in linea directa versari duntaxat videtur, sic quidem vt eius appellatione agnati non comprehendantur. Idq; ex antiqua cuiusdam inscriptionis particula potest euidenter animaduerti, quæ sic de hortis legatis

gatis scriptum continet: EXCEPITQVE NE QVIS EOS VENDERET, SED PER GENVS IPSORVM POSSESSIO CVRRERET, VEL PER ATNATOS VEL MANVMISSOS. Ex quo loco probari videtur inter solos ascendentes & descendentes generis appellationi locum fuisse. Idque notatio nominis mirum in modum confirmat. Cum enim genus à genendo, quod veteribus idem cum gignẽdo est, appellatum sit, quis dubitabit quin hi solùm, à quibus nos sumus, & qui à nobis sunt geniti, generis comprehendantur appellatione? Gens autem quanquam ad principium etiam cuiusque generationis rectámque cognationis lineam, siue, vt ait Cornelius Fronto, ad seriem maiorum pertineat; ad agnatos tamen gentilésque referri nihilominus potest. Hãc generis gentísque differentiam ignorasse non videtur Papinianus, qui sic de probationibus scribit cap. j. Quoties quæretur genus an gentem quis haberet, nec ne, eum probare oportet. Sic genus accepisse visus est etiam Symmachus Epist. lib. ij. Genus eius, inquit, senatoriũ est; mens ac modestia, origine sua ac stirpe nobilior. Haud dubiè senatorium genus originem appellans senatoriam. Et id quidem tunc semper verum est, cùm propriè quid genus sit, inspicimus. Abusiuè enim & impropriè pro gente generis nomen plerunque veteres vsurpasse, certius est quàm vt doceri necessum sit. Gens diuiditur in

ſtirpes. Stirpes alio modo appellantur familiæ, alio domus. cap. pe. §. fi. de cont. tab. bo. poſ. cap. xvij. de teſtib. Catullus in Epithalamio:

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier, & poteſt Te volente.

Sic Liuius filium appellat virilem ſtirpem lib. j. Breui, inquit, ſtirps quoq; virilis ex nouo matrimonio fuit, cui Aſcaniũ parentes dixêre nomẽ. Et paulò pòſt: Pulſo fratre, Amulius regnat, addit ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interimit. Addatur Arnobij illud aduerſus gẽtes lib. 1. Non dulciſſimas procreant liberorum ſtirpes? Pro ſtirpe domum etiam veteres dixiſſe, ex Saluſtio conſtat, qui ſic in Catil. ſcribit: Poſtremò captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cuius prẽter formã nihil vnquam bonus laudauit, quòd ea nubere illi dubitabat, timẽs priuignum adultum ætate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptijs feciſſe. In ſtirpes diuiditur hereditas, §. cum filius, Inſt. de hered it. quę ab inteſt. def. nõ quę in gentes, ſed quæ in domos, in diuerſas gentis vnius familias diuiditur. Itaque nulla poteſt eſſe gens ſine ſtirpe, vt nec ſtirps ſine gente aut genere. Habebat etiam gens quælibet multas & varias domos ſiue ſtirpes, tot nimirum quot erant in vnaquaque gente patreſſamiliâs: quælibet verò ſtirps vnam duntaxat gentem. Ideoque poteſt quis ex eadem gente eſſe, etiam ſi ex eadem domo non ſit;

ſit; ſed contrà ex eadem domo ſiue ſtirpe quis eſſe non poteſt, niſi etiam ex eadem gente ſiue genere ſit. Eoque referendum eſt quod de controuerſia inter Marcellos et Claudios ſcribit ad hunc modũ Cicer. de orat. li. i. Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios centumviri iudicauerunt, cùm Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hereditatem gente ad ſe redijſſe dicerent, nonne in ea cauſſa fuit oratoribus de toto ſtirpis & gentilitatis iure dicẽdum? Senſus enim eſt, Claudij non plebeij, ſed patricij (erãt enim alij plebeij, alij patricij, auctore in vita Tiberij Suetonio) huiuſmodi hereditatẽ gẽte ad ſe pertinere contendebãt, Marcellis cõtrà nõ gẽte ſolùm ſed etiam ſtirpe eandem hereditatem ſuam eſſe ſe dulò proponẽtibus: id cùm negarent Claudij, exorta fuit de ſtirpis & gẽtilitatis iure inter Claudios patricios & Marcellos cõtrouerſia. Sic nimirum vt ſi ſtirpe heredes ſe probarẽt Marcelli, in ſucceſſione Claudijs præferrẽtur, ſin minus, de gente diſputatio tractaretur. Idque ſic non accipere conuenit, quaſi Claudijs & Marcellis huiuſmodi liberti filius aliquo cognationis agnationiſue iungatur vinculo; ſed ita potius vt Claudij & Marcelli de patroni familia videãtur inter ſe cõtendiſſe. Videlicet ad eum modum, vt ſi patronus ex vna dum viueret cũ Marcellis ſtirpe, ex vna domo prouenitſſet, tũc Claudijs in hac ſucceſſione Marcelli ſine aliqua cõtrouerſia

præferrẽtur. ſin verò gente ſolùm tam Claudijs quàm Marcellis cognatus eſſet idem patronus, tunc vtique Claudiorum ne an Marcellorum domus ſiue ſtirps in hac gente patroni familiæ proximior eſſet, diligenter inquirebatur: Et ſi quidem ſtirpe Marcelli Claudijs eſſent illi familię patroni proximiores, illi hereditatem obtinerent; ſin contrà Marcellis Claudij, tũc Claudij heredes eſſent. Ceterùm familiæ appellatio variè accepta eſt. nam & in res & in perſonas deducitur. Refertur etiam, inquit Vlpianus, familiæ appellatio ad corporis cuiuſdam ſignificationem, quod aut iure proprio ipſorum, aut communi vniuerſæ cognationis continetur. Iure proprio familiam dicimus plures perſonas quæ ſunt ſub vnius poteſtate; iure verò communi omnes agnatos. cap. cxcv. de verb. ſignif. Idq; etiã expreſsè teſtatus eſt Feſtus; Familia, inquit, antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis, vocatur paterfamiliæ: vnde familiæ nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum. Quo etiam ſenſu familiam accepiſſe viſus eſt Apuleius in Apologia ſecũda. Domus eius, inquit, tota leonina, tota familia cõtaminata. Haud dubiè per domum, ſtirpem; & per familiam gentem intelligens. Eſt igitur vna familia, ad quam omnes ſtirpes referuntur, & illa gentis nomine appellari conſueuit. ſunt etiam aliæ quæ ex ſtirpibus cõſtant. Quot enim vnius gẽtis diuerſæ ſtirpes ſunt, totidem diuerſę eiuſdem

eiuſdem gentis familiæ ſunt. Idque liquidò demonſtrat in Nerone Suetonius. Ex gente Domitia, inquit, duæ familiæ claruerunt, Ciluinorum & Ænobarborum. Et hinc quidem intelligimus, quid ſibi voluerit Vlpianus cùm ita ſcriberet: Nam etſi patrefamiliâs mortuo ſinguli ſingulas familias habent: tamen omnes qui ſub vnius poteſtate fuerunt, rectè eiuſdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo & gente proditi ſunt. d. cap. cxcv. Senſus enim eſt, quamuis duce & principe generis mortuo ſinguli qui in eius poteſtate fuerunt, ſeparatas & proprias domos, ſtirpes, ſiue familias habeant; quia tamen ex eadem domo & gente proditi ſunt, rectè eiuſdem familiæ appellabuntur. Ex quo loco manifeſtò conſtat, non ad cognomen ſolùm, vt exiſtimauit doctiſſimus Sigonius, ſed ad nomen etiam, hoc eſt tam ad gentem quàm ad ſtirpem referri familiam poſſe. Omnes igitur qui eiuſdem nominis ſunt, eiuſdem quoque familiæ ſunt, non ſtirpium ſed gentis ſiue generis reſpectu, reſpectu verò ſtirpium quot diuerſæ ſtirpes ſunt, tot diuerſæ familiæ ſunt, non quidem nomine, ſed cognomine. Idque mihi voluiſſe viſus eſt Suetonius cùm ſic de Galba ſcriberet: Imagines & elogia vniuerſi generis exequi longum eſt, familiæ breuiter attingam. Qui primus Sulpitiorum cognomẽ Galbæ tulit, cur aut vnde traxerit ambigitur. Huic etiam cõſentaneum eſt quod idem Suetonius ſic in Ti

berio de Claudio Druſo ſcribit: Druſus hoſtium duce Druſo cominus trucidato, ſibi poſteríſque ſuis cognomen inuenit. Diſcedit autem omnis familia patrefamiliâs mortuo in liberos, conſanguineos, & agnatos. Liberi omnes deſcendentes appellantur, capite ccxx. de verb. ſig. cap. vlt. in princ. de bonis damnat. Conſanguinei, fratres & ſorores ex eodem patre, vt ſcribit Vlpian. in frag. tit. xxvi. Agnati autem ſunt, auctore eodem Vlpiano, cognati virilis ſexus per mares deſcendentes eiuſdem familię. Vel, vt eos alio loco idem Vlpianus definiuit, agnati ſunt, cognati virilis ſexus ab eodem orti. ca. ij. de ſuis & legit. Decemuiri conſanguineorum nomen non agnoſcunt. Liberos enim appellant ſuos heredes; conſanguineos verò, & omnes qui ex latere per virilẽ ſexum coniũguntur, cõmuni nomine agnatos vocant, his verbis: AST SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS HERES NEC EXTABIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO: vt eſt apud Vlpianum d. tit. xxv. Conſanguineos igitur expreſsè ab agnatis ſeparárunt iuriſconſulti in d. cap. ij. quos agnatorum nomine hac in lege decemuiri complexi ſunt. Porrò agnati inde nomen habere videntur, quòd iure ciuili non in domo nati ſint patrisfamiliâs (in ea enim liberi qui ſunt in poteſtate duntaxat naſcuntur) ſed quòd familiæ adnaſcantur; ſicut agnum exiſtimauit inde appellatum Varro, quòd pecori ouilo

ouilo agnatus eſſet. Et eſt quidem agnationis nomen ciuile, vt familiæ, gentis, & generis; cognationis autem ſanguinis nomen eſt, & naturale, quod interdum in nomen agnationis tranſit. Cognati dicuntur, quaſi ſimul nati, quaſi ex uno nati, quaſi commune naſcendi initium habentes. cap. j. in princ. vnde legit. Et idcirco agnati, inquit Modeſtinus, & cognati in hoc differunt, vt in cognatis, etiam agnati contineantur, in agnatis non vtiq; & cognati. Verbi gratia: Patris frater, id eſt patruus, agnatus eſt & cognatus; matris frater, id eſt auunculus, cognatus eſt, agnatus non eſt. ca. v. vnde legit. Ideo patruus cognatus eſt & agnatus, quia non ſanguinis ſolùm ſed etiã generis ratione inter fratris ſui, hoc eſt mei patris, familiares mecum numeratur. Auunculus autem non agnatus eſt, ſed cognatus duntaxat, quia mihi non generis, ſed ſanguinis tantùm ratione coniunctus eſt. Et hoc inde potiſſimùm quòd feminæ conſideratione quadã generis gentíſque ciuili, propriam nullam ducant familiam. Per in manus enim conuentionem vna cum marito familia, vna domo concluduntur. Idque ex Labeone Antiſtio dilucidè probari poteſt. Auctor eſt enim lib. xiij. capite decimo Aulus Gellius, Labeonem in quarto ad edictum libro ſic ſcripſiſſe: Soror appellata eſt, quòd quaſi ſeorſum naſcitur ſeparatúrque ab ea domo in qua nata eſt, & in aliam familiam tranſgreditur. Huic etiam

etiam consentaneum est, quod lib. xviij. cap. vj. scripserit idem Gellius, matrem familiâs non in matrimonium tantùm, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venire. Si feminæ familiam ducerent propriam, hoc est, si muliebris sexus non minus inter familiæ duces, quàm sexus virilis posset numerari; consequens esset, omnem domum ex duabus constare familijs diuersis, vna quidem patris familiâs ex virili sexu, altera verò matris familiâs ex sexu femineo: & eadem ratione matris frater, id est auunculus, mihi esset agnatus, respectu familiæ maternæ, qua patruus agnatus est, respectu paternæ familiæ. Quia igitur feminæ per in manus conuentionem in mariti familiam omni modo transeunt; ideo receptum etiam est vt nec auunculus agnatus sit, nec liberi ex iustis nuptijs nati matris sed patris familiam sequerentur. Qua etiam sola de caussa feminæ nec suos heredes habent, nec agnatos, præter consanguineos, auctore Vlpiano, tit. xxvj. Caio Inst. lib. ij. tit. ix. & Paulo cap. iiij. §. ij. de bon. pos. cont. tabul. Siquidem sui & agnati sine familia appellari nulli possint. Adeo quidem vt vbi nulli vel sui vel agnati sunt, ibi nulla esse familia possit; & contrà, vbi nulla familia, ibi nulli vel sui vel agnati sunt. Et ob id ad feminas, vltra consanguineorum gradum legitima hereditas, qualis suorum & agnatorum est, nõ pertinebat: quanuis contrà ipsarum hereditates ad masculos propin-

propinquos agnationis conditione peruenirent. dict. tit. ix. Nimirum quia, licet familiam nullam, & idcirco nec suos nec agnatos feminæ præter consanguineos haberent, hoc est, familiæ duces aut principes appellari non possent, erant tamen de aliqua familia; ea nimirum à qua per in manus conuentionem in mariti familiam transgredientes separabãtur: & ideo rectè agnati, qui eiusdem familiæ erant, agnationis iure legitimam feminarum vt tutelam sic hereditatem agnoscebant. Eoque visus est Terentius in Andria respexisse, sic Critonem de Chrisíde loquentem introducens:

Eius morte ea ad me lege redierunt bona.

Donatus enim sic hunc locum interpretatur: Hic ius tractauit dicens *Redierunt*; quia in familiam redeunt si non est heres de proximo, aut ex testamento. Quasi dicat Donatus: Mulier cum suis bonis per in manus conuentionem ex ea familia in qua nata est, in familiam mariti transgreditur: síque intestatò aut sine liberis decesserit, eius bona ex familia mariti ad paternam rursus familiam, vnde exierant, redeunt. Nec alio referendum est quod idem Terentius ad hunc modum in Hecyra scribit:

Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horum, ea ad hos redibat lege hereditas.

Per cognatum enim hoc in loco si non Lachetis, saltem Pamphili consobrinum intelligit expresse Terentius; hoc est amitæ Pamphili filium,

lium, quæ amita per in manus conuentionem ex Pamphili eiúsque maiorum familia in familiam mariti vnà cum bonis suis transgressa fuerat. Vt igitur amitæ, sic etiam eius filij, hoc est consobrini sine liberis aut intestatò mortui bona ad eam vnde exierãt familiam redeunt. Et hæc quidem omnia verissima sunt, eo nihil obstante quod sic Vlpianus ait: *feminæ possunt vel consanguineos vel agnatos habere.* cap.ij. §. j. Vnde legit. Sensus enim est, feminas consanguineos vel agnatos habere legitimos heredes posse, ea ratione qua liberti patronos suos heredes legitimos habent. Supereſt vt de obscura quadam agnatorum differentia nunc disseramus. Agnati dicuntur vel natiuitate, vel adoptione. Nam qui adoptabatur, ijsdem fiebat agnatus quibus pater eius adoptiuus fuerat, & legitimam eorum hereditatem habebat, vel ipsi eius. capite ij. §. ij. de suis & legit. Natiuitate verò agnati fiunt duobus modis: vno, qui per virilis sexus cognationem viuo patrifamiliâs coniunguntur: altero, qui patre mortuo nati sunt, quos appellant communi nomine postumos suos. Filius qui viuo patre natus est, agnatus dici non potest. in recta enim linea versatur, cùm agnati ex latere domum duntaxat attingant. cap. vii. Si tab. test. Ideoque gnatus vel filius dicebatur, nõ agnatus. At postumus suus, filius dici non potest; nullus enim est filius sine patre, vt nec pater sine filio. Quia tamen patrefa-

trefamiliâs mortuo eius familia omnino non extinguitur; ideo qui filius esse non poterat, agnatus efficitur. capite tertio: de iniust. rupt. & irrito test. & patri (hoc est, paternæ familiæ) agnasci dicitur. Illud igitur quæsitum est, an hic agnatus appellari proximus, & cum suis heredibus numerari possit. Et posse quidem respondit Pomponius his verbis: *Filius patri agnatus, proximus est.* cap. xii. de suis & legit. Et hoc nimirum illud est quod hunc in modum Cic. scribit, de oratore libro j. Num quis eo testamento, quod paterfamiliâs antè fecit quàm ei filius natus est, hereditatem petit? Nemo, quia constat agnascendo rumpi testamentum. Recentiores quidam cum hæc non considerarent, addere huic Pomponij responso negationem contra omnium exemplarium fidem, non dubitarunt. Non rectè. Vult enim Pomponius filium patri agnatum, hoc est post patris mortem natum, testamentum rumpere, & heredem patris proximum esse. Et sic non Pomponius solùm, sed etiam pro Cecinna Cicero postumum suum appellat: Cui, inquit, filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum iudica. Ecce non agnatum solùm, sed agnatum patri cum Pomponio postumum appellat Cicero. Nec alio sensu proximiores ex agnatis sui dicuntur. cap. x. §. i. de gradib. sui heredes adgnascuntur. cap. iij. §. fi. de lib. agnosc. Siquidem ex agnatis omnibus nulli sunt ijs agnatis proxi-

proximiores, qui patri agnasci dicuntur, hoc est postumis suis. Nec est quod quis obijciat, quam vt liberi repudiant bonorum possessionem sui heredes, eandem illos quasi legitimos habere incipere, & per consequens rectè inter agnatos etiam suos heredes posse numerari, idque Vlpi anum sibi voluisse cap. ij. in princ. Vnde legit. Illius enim responsi sententia est, liberos duplici iure ad parentum intestatorum hereditates admitti, nimirum vel suo & legitimo iure simul, vel legitimo solo. Proinde si à suo iure recesserint, quod fieri repudiando solet, supereſt illis ius legitimum: quo iure præferri rursus ceteris legitimis, hoc est agnatis, in repudiata successione consueuerunt, nō suo quidēm, hoc est proprio, siue innato iure, sed iure legitimo. cap. vlt. in princ. de bo. dam. Liberi igitur sui heredes sunt & legitimi simul, non agnati; agnati autem legitimi sunt, non sui, ijs exceptis qui patri agnasci dicuntur. Sui enim aut nascuntur aut agnascuntur. cap. i. §. viij. in fi. cap. iij. §. fi. de lib. agnosc. cap. viij. de iniusto rumpto, & irrito test. De his omnibus malè disserunt & sentiunt alij.

Quid sit gratiam iurisiurandi facere, in L. Labeo etiam, D. De iureiurando.

CAPVT II.

GRATIA iurisiurandi solet aut ad delatum & susceptum, aut ad præstitum iusiurandum referri. Qui iusiurandum remittit,

mittit; gratiam iurisiurandi facere dicitur. cap. vi. de iureiur. Qui prestiti iurisiurādi religione aliquem liberat, is etiam iurisiurandi gratiam facit cap. xxxviij. in princ. Ad municipal. Remittens iusiurandum, non aliter gratiam facere intelligitur, quàm si deferente se aduersarius iurare paratus suscipiat iusiurandum. d. capit. vi. Eaque res efficit, vt huiusmodi gratia iurisiurādi nec absenti, multoque minus ignoranti fieri possit. Nam quomodo ab ignorāte suscipi iusiurandum, aut quo modo ignorans esse paratus actore deferente ad iurandum potest? Et idcirco nequaquam videri ambiguum debet, quin pessimè de iurisiurandi delati remissione Pomponium acceperint interpretes, Labeonis sententiam ad hunc modum referentem: Labeo etiam absenti & ignoranti iurisiurandi gtatiam fieri posse respondit: sed & per epistolam gratia iurisiurandi fieri potest. cap. xli. de iureiur. Proinde non delati susceptique, sed præstiti iurisiurandi absenti & ignoranti gratiam fieri potuisse, est verisimilius, idque sibi Pomponium & Labeonē voluisse. Dici non potest quàm id ipsum Plauti auctoritate confirmetur. Post quàm enim apud Plautum in Rudente, iureiurando per Veneris aram conceptis verbis præstito talentum argēti magnum Gripo promisisset Labrax leno, hanc summam Dæmones lenoni à seruo suo piscatore Gripo remitti volens, his verbis vsus est:

Res soluta est Gripe, ego habeo. Gr. at ego me mauolo. Dæ. Nihil hercle hic tibi est, ne tu speres, iurisiurandi volo
Gratiam facias.

Ex quo loco euidenter apparet, cùm id quod iuramento promissum est vltro, siue (vt hîc apud Plaut.) pactione aliqua remittitur, tũc etiam iurisiurandi gratiam fieri. Sic iurisiurandi gratiam visus est etiam accepisse Suetonius ad hunc modum de Tiberio scribens: Equiti Romano iurisiurandi gratiam fecit, vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum antè iurauerat. Quod igitur Pomponius & Labeo de iurisiurandi gratia scribunt in d. cap. xli: hoc sic videtur accipiendum quasi dixerint, id quod iureiurãdo promissum est, absenti ignorãtique & per epistolã remitti posse.

Quæ dicatur feralis pestis in rescripto quodam imperatoris Constantini.

CAPVT III.

NON satis constat, quid per feralem pestem Constantinus intellexerit, cùm sic de maleficis scriberet: *Hos (quoniam naturæ peregrini sint) feralis pestis absumat.* cap. vi. C. de maleficis. Festus auctor est, feralia dijs manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel a ferendis pecudibus esse appellata. Scribit etiã Varro, Feralia ab inferis et ferendo appellata esse, quòd ferant tunc epulas ad sepulchrum, quibus ius est ibi parentare. Indeque officium quòd mortuis

mortuis impẽditur, ferale dici, testis est Apuleius de asino lib. i. Vox, inquit, persolutis feralibus officijs luctu & mœrore deformata. Hinc etiam cineres exusti cadaueris, & vrnas in quibus cineres recondebantur, ferales appellatas esse Tacitus tradidit. Sic enim Annalium lib. ij. scribit: Tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta vltionis, anxia sui. Et lib. iij. Postquã duobus cum liberis feralem vrnam tenens egressa naui defixit oculos. Habitũ illum, quo deos deásue manes apparere persuasum erat, etiam feralem vestem veteres appellasse, ex eodem Tacito constat, qui sic lib. xiij. scribit. In modum furiarum, veste ferali, crinibus deiectis faces præferebãt. Eoque sensu feralem pestem hoc in loco accepisse Cõstantinum est verisimile. Voluit enim maleficos dijs manibus cõsecrari. Sed quomodo? Sic nimirum vt eiusmodi pestis siue interitus eos absumat, cuiusmodi feraliorum tempore pecudes & in officijs feralibus cadauera mortuorum, cùm in ignem posita sunt, absumuntur. Indeque pœna maleficorum dicta feralis pestis eo modo videri potest, quo feralem vrnam, reliquias vestésque ferales, & ferale denique officium esse appellatum docuimus. Et sic quidem nihil aliud voluisse visus est Cõstantinus, quàm maleficos igne consumendos esse. Et quia de dijs manibus quibus feralia sacrabantur accitis arte magica locutus fuerat Cõstantinus, idcirco ferali peste potius quàm igne dixit huiusmodi

homines absumendos esse. Nimirum vt his verbis malefici ijsdem dijs consecrari intelligerentur, quos artibus suis euocantes sæpius, vt erat opinio, inquietauerant. Pestis igitur feralis, ille dici hoc loco interitus debet, quo quis dijs manibus consecratur; sicut officium ferale dicitur, quod ijsdem dijs exhibetur, cùm homini mortuo iusta fiunt. Quanuis interim non ignorem, de supremo quouis supplicio interdum etiam pestem feralem accipi posse. Certè quia sic in Octauio scribit M. Minutius Felix: Et hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia, eorum cæremonias fabulatur. Pro morte autem siue interitu pestem veteres posuisse non ignorat, qui pestiferum fulgur Festum obseruauit definiuisse, quo mors exilium ue significari solent. Cic. quoq; perniciem, siue interitum reip. frequenter pestem appellat.

Ad L. Inuiti, D. De testib.

CAPVT IIII.

INTER eos qui testimonium non dicunt inuiti, is quoq; numeratur, qui quid exercitui præbendum conduxit. cap. xix. de test. Hæc est Florentina lectio; quã qui sic emendarunt, *Qui exercitui præbenda conduxit*, dici non potest quàm id inconsideratè fecerint. Quasi verò vnus redemptor exercitui Romano ijs quæ necessaria sunt præbendis sufficiat. Certè hi non animaduerterunt multum locationem à conductione præbendorum differre. Vnus siquidem præbẽda locat, plures præbenda cõducunt: ædilis prębenda locat, iuxta Plauti illud in Mercat.

Præbenda ædiles locauere, inde petito:

Redemptores non præbenda, sed aliquid exercitui prębendum singuli conducunt; nimirum, hi vestimenta, illi frumentum, tertius aliquis vinum, & sic deinceps. Idque adeo verum est, vt hæc Vlpiani verba, *Qui quid exercitui præbendum conduxit*, ex ipsa redemptorum definitionis formula, omnino possint repetita videri. Redemptores enim ad hunc modum definiuit Festus: Redemptores propria & antiqua consuetudine dicebantur, qui, quum publicè faciendum quid aut præbendum conduxerant, effecerántque, tum demum pecunias accipiebant: nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At hi nunc dicũtur redemptores, qui quid conduxerant præbendum vtendúmque. Hæc Festus. Ideoque si passim apud Vlpianum *præbenda* legeretur, omnibus auctor essem vt *quid præbendum* reponerẽt. Quanuis interim non ignorem redemptores etiam interdum rectè dici præbenda conducere. Quod tunc accidere solet, quum certum quoddam negotiatorum genus omnia, quæ belli vsus postulabat, exercitui præbenda conduxerat. Idque ex Liuio constat, qui sic de publicanis scribit lib. quadragesimo quarto. In eandem diem frumentum, & cetera quæ belli vsus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi sunt.

Quid sit per salutem suam, quid item per Iouem iurare, atque inibi de vero sensu cap. xxxiij. De iureiurãdo.

CAPVT V.

IN deferendo iureiurando ea solet apud veteres obseruari ratio, vt is qui iusiurandum deferebat, quomodo illud præstari vellet, simul exprimeret. Et tunc quidem interdum conceptio delati iurisiurandi arbitrio iurantis relinquebatur, interdum certa erat & solemnis, interdum denique verbis certis iusiurãdum ab eo qui deferebat, cõcipiebatur. Si quis aduersario suo per salutem suã iurare specialiter, hoc est nominatim iuberet; tũc in arbitrio iurantis erat, nulla quippe certa huiusmodi iurisiurandi prolata formula, iuramentum concipere. Hunc videlicet in modum, *Iupiter mihi iratus sies*; vel sic, *Ita mihi deos velim propicios*. Conceptis verbis ita iurari solet, vt is qui iusiurandum deferebat, verbis quibus iurari vellet, præiret. Eiusque iurisiurãdi extat apud Plautũ in Rudente elegans formula. Ceterùm si nec verbis conceptis, nec aliud aliquod specialiter aduersario delatum esset iusiurandum, sed dictum simpliciter, *Iura per Iouem*, tũc vsitata & solemni quadam Iouem lapidem iurandi formula vtebantur Romani. Auctor est enim libro decimo Festus, iuraturos per Iouem, lapidem silicem tenuisse, hæc solemnia verba dicentes; SI SCIENS

FALLO, TVM ME DIESPITER, SALVA VRBE ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VT EGO HVNC LAPIDEM. De quo iureiurando visus est sentire Plinius, sic in Panegyrico scribens: Quinetiam sedens præbuit iusiurandum, & ille iurauit, & expressit, explanauítque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. Qui autem sic iurabant, eos dici Iouem lapidem iurare testatur Cicero: sic enim Trebatio scribit, Epistolar. lib. vij. Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cùm scias Iouem iratum esse nemini posse? Probari id etiam ex Gellio potest, qui sic de Phauorino Noct. Attica. libro primo cap. xxj. scribit: Sed enim cùm Phauorino Higini commentarium legissem, eaque ei statim diplicita esset insolentia & insuauitas amaroris, Iouem lapidem, inquit (quod sanctissimum iusiurandum est habitum) paratus sum ego iurare, Virgilium hoc non scripsisse. Illúdque iusiurandum tantæ fuit apud Romanos auctoritatis, vt quoties per Iouem quis iurare iuberetur, statim ad illud etiam in theatris ipsis ludorum tempore confugeretur. Idque euidenter ex eodem Ciceronis Epistolarum libro septimo potest intelligi. Sic enim de ludis disserens scribit Cicer. Deliciæ verò tuæ noster Æsopus eiusmodi fuit, vt ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare cùm cœpisset, vox eum defecit in eo loco,

SI SCIENS FALLO. Et ita per Iouem iurare nihil aliud fuisse videtur veteribus, quàm Iouem lapidem iurare. Intelligi id etiã ex Plauto potest in Aulularia. Cùm enim Strophilus Lyconidi adolescenti iusiurandũ ad hunc modum detulisset, *Iura per Iouem*, & inter cetera respondisset Lyconides, *Sed me citò expedi sis*, subiecit Strophilus, *Hem silicem tibi*. Tunc accepto silice iurans per Iouẽ hac formula vsus est Lycon.

Si te ego sciens fallo, ita me eijciat Diespiter
Bonis, salua vrbe & arce, vt ego hunc lapidem.

Hæc cùm ita sint, nunc videor mihi intelligere quidnam Vlpianus sibi voluerit, cùm ita scriberet: Qui per salutem suam iurat, licet per deum iurare videatur (respectu enim diuini numinis ita iurat,) attamen si non ita specialiter iusiurandum ei delatum est, iurasse non videtur, & ideo ex integro solemniter iurandum erit. ca. xxxiij. de iureiurando. Sensus enim est, si sic delatum tibi fuerit iusiurandum, *Iura per Iouem*, & tu per salutem tuam ita iurueris, *Ita mihi Iouem velim propitium: Iupiter mihi iratus siet:* quanuis per Iouem iurare videaris, attamen eius qui iusiurandum tibi detulit, intentioni non satisfacis. His enim verbis, *Iura per Iouem*, ea est (quemadmodum ex superioribus constat) deferentis intentio, vt Iouem velit lapidẽ iurari. Nec aliter per salutem suam reo iurare permittitur, quàm si ab actore specialiter, id est nominatim his verbis, *Iura per salutem tuam*, ei delatum esset iusiurandum.

randum. capite v. in princ. dict. tit. Qua de caussa, si iussus per Iouem iurare per salutem suam iurauerit, iurasse non videtur, & ideo ex integro iurandum erit, inquit Vlpianus; hoc est, ad solemnem vsitatámque Iouem lapidem iurandi formulam confugiendum. De qua formula etiam Paulum sentire à Cuiacio & Russardo iurisconsultis doctissimis est obseruatum in cap. xxvj. de iureiurand. Ausim dicere in fine capitis tertij, de iureiurando, sic apud Vlpianum etiam scriptum fuisse; *Ceterùm si ego detuli, vt per Iouem iurares*, eaque verba ad hanc formulam omnino referenda videri. Et certè Iouis nomen vt ethnicum, Christianæque religioni aduersarium, ex prudentum responsis sustuliſſe Tribonianũ, & eius loco Dei verbum posuisse, ex eo potest euidenter intelligi, quòd in ijsdem responsis, crucis nomen in furcam idem Tribonianus omnino mutauerit. Quæ res efficit, vt quoties in prudentum responsis dei occurrit mentio, verbum illud ex prudentum intentione ad Iouem semper referendum videatur. Igitur pro deum iurare nihil esse aliud in illis responsis ex intentione prudentum potest, quam iurare per Iouem, hoc est Iouem lapidem iurare. Et ita mihi videtur.

Quæ dicantur ambitiosa decreta: & expenditur explicatúrque Vlpiani locus perdifficilis.

CAPVT VI.

HONORIS ambitus dici cœptus est, inquit Festus, à circumeundo supplicandoque. Est igitur ambire, supplicare. Ambibant autem Romani, aut captantes populi suffragia, aut iudicum implorantes misericordiam. Indéque tam hi qui fauorem & gratiam iudicum, quàm illi qui magistratum captabant, appellari solent ambitiosi. Certè quia sic etiam in Terent. scripsit Donatus: Magnarum rerum desiderium & appetitus ambitio dicitur. Ouidius de Ponto lib. iij.

Sed tamen hoc factis adiunge prioribus vnum,
Pro nostris vt sis ambitiosa malis.

Hinc intelligimus quænam dici ambitiosa decreta possint. Nimirum tam quę gratis, quàm ea quæ accepta mercede contra ius & æquum in alicuius fauorem à iudicibus interponuntur. cap. lxv. §. ij. ad S.C. Treb. Sic ambitiosas sententias accepisse videri potest in Domitiano Suetonius. Ambitiosas, inquit, centumuirorum sententias rescidit. Eoque sensu ambitiosa decurionum decreta visus est etiam Vlpianus accepisse cùm ita scriberet: Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, siue aliquem debitorem dimiserint, siue largiti sint proinde vt solent, siue decreuerint de publico alicui vel prædia, vel ædes vel certam quantitatem præstari. cap. iiij. de decret. ab ord. fac. Difficilis est hic locus. Quónam enim pertinent hæc verba, *proinde vt solent*, nisi dixeris *proinde* idem esse quòd *propterea*, hoc est propter dimissionem debitoris. Idque, licet durum sit, tamen non reprehendo. Quanuis interim non ignorem huius responsi sententiam reddi facillimam posse, leui correctione adhibita, hunc in modum: *Siue largiti sint pro indemnitate vt solent.* facilè siquidem mihi persuadeo sic apud Vlpianum scriptum fuisse. *Siue largiti sint pro ind. vt solent*, hoc est pro indemnitate. Idque non considerans Tribonianus, cùm *pro indemnitate* scribere debuisset, *proinde* reposuisse videri potest. Sensus enim huius responsi est, siue aliquem reipublicæ debitorem gratis, siue largiti pro indemnitate, hoc est largitionibus acceptis, dimiserint decuriones, siue de publico alicui ædes, prædia aut certam quantitatem præstari decreuerint, huiusmodi decreta ambitiosa esse, & ob id rescindi debere. Non enim in potestate decurionum est, aliquem reipublicæ debitorem dimittere, alicui prædia aut quantitatem certam decernere. Idque ex Plinio euidentissimum est. Cùm enim de mãdatis quibus eiusmodi donationes vetantur, disseruisset Epistolarum libro decimo Plinius sic rescripsit ad eundem Plinium imperator Traianus: Sicut largitiones ex publico fieri mandata prohibent, ita ne multorum securitas subruatur factas ante aliquantum temporis retractari, atque in irritum vindicari non oportet. Moris erat, vt hi qui in prouin-

prouincias à senatu Romano aut ab imperatore alijsue potestatibus sublimibus legati mittebantur, honorarentur exciperentúrque sumptu publico liberalius, datis muneribus, quemadmodum ex Sidonio probari potest, qui sic lib. v. Epist. scribit: Hi sunt, qui inuidēt tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredarijs, mercatoribus nundinas, munuscula legatis. Qua sola de caussa nouas interdum indictiones decernebant decuriones. Et tunc quidem municipes illi, qui gratia & fauore quodam singulari, aut etiam largitionibus indemnitatem decurionum decretis consequebantur, ambitiosi; & decreta quibus indemnitates huiusmodi continebantur ambitiosa dicebantur. Eoque referendum est, quod de prouidentia dei libro quinto Saluianus Massiliensis episcopus ad hunc modum scribit: Veniunt plerumque noui nuntij nouarum epistularum à summis sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis, ad exitia plurimorum. Decernuntur his noua munera, decernuntur nouæ indictiones, decernunt potentes quod soluant pauperes, decernit gratia diuitum quod perdat turba miserorum. *Ipsi* enim in nullo sentiunt quod decernunt. *Sed* non possunt, inquies, non honorari, & liberalius accipi, qui fuerint à maioribus missi. Estote ergo vos diuites primi in conferendo, qui estis primi in decernendo. Hæc Saluianus. Si me rogaueris, cur non potius *pro immunitate* quàm

pro indemnitate hîc apud Vlpianum esse reponendū censeam, respōdeo immunitatem ius quoddam perpetuum significare. Nam qui tributis nullis grauātur, hi verè immunes sunt. Ambrosius Epist. lib. v, Si necessitates temporum, & extraordinariæ incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo, & dispendio Læti immunis erit. Suetonius in Augusto: Et Liuię pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit, affirmans se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem. De indemnitate autem ijs cautū videri potest, quibus aduersus aliquod imminens futurúmue damnum abundè prospectum est. ca. viij. de magist. conueniend. quod ijs accidere solet, qui decreta obtinuerant ambitiosa. Erat enim moris, vt eorum qui statis indictionum temporibus tributa non penderent, bona proscriberentur, & publicè venum irent. cap. ix. de rescind. vend. Et idcirco debitores qui ab eiusmodi proscriptione, tributa non soluentes, ambitiosis decurionum aliquibus decretis tuti erant; rectè indemnes esse, & indemnitatem aut gratia aut largitionibus redemisse dicebantur. Idque mirum in modum eiusdem Saluiani confirmatur auctoritate. Sic enim in eodem illo, quem modò laudaui, de prouid. dei lib. v. scribit: Iam verò illud quale, quàm sæuum, ex hac ipsa impietate descendens, quàm alienum à barbaris,

quàm

quàm familiare Romanis quòd se inuicem ex actione proscribunt? immo non inuicem: nam hoc tolerabilius ferme esset, si pateretur quisq; quod faceret: illud est grauius, quòd plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse priuatos: & hoc non summi tantùm, sed pene infimi, non iudices solùm sed etiam iudicibus obsequentes. Quæ enim sunt non vrbes, sed etiã municipia atq; vici, vbi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint? Hæc Saluianus. Eoque respexisse diuum Ambrosium suspicor, cùm sic in sermone vii. scriberet. Igitur quod Cæsar præcipit ferendum est, quod imperator indicit, tolerandum est: sed fit intolerabile cùm illud præda exactionis accumulat. Et hæc quidem sic obseruari solent, si modò hi qui tributa non soluebant, haberent bona. Alioqui enim supplicijs ad soluenda tributa compellebantur. Idque omnium optimè docet idem Ambrosius in Sermone xxxix. Et contrà, inquit, semper tristis est & mœstus qui tributa dissoluit. Nec immeritò tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur. Christi enim debitor lætus, Cæsaris tristis est: quia hunc ad soluendum amor cogit, illum pœna compellit: hic præmijs prouocatur, ille supplicijs coarctatur.

De superindictionibus.

CAPVT VII.

OBSERVATVM est, caussas pœnarum quibus plectũtur rei condemnati, olim populo exponi solitas, quæ expositio superindictio dicebatur. cap. viij. §. fi. de iureiur. ca. xvi. C. Ex quib. caus. inf. irrog. Eaq; superindictio vel fieri titulis solet, vel præconis elogio. Suetonius in Domitiano: Patrẽfamiliâs quòd Thracẽ mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis in arenam canibus obiecit, cũ hoc titulo, *Impiè locutus parmularius*. Et in Caligula: Romę, inquit, publico epulo seruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici cõfestim tradidit, vt manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo, qui caussam pœnę indicaret, per cœtus epulantium circũduceretur. Atq; ita superindici titulis solet. Ceterùm præconis elogio superindici tunc dicebatur, cùm præco publicè caussam supplicij proclamaret. Spartian. in Seuero: Fustibus eum sub elogio eiusdẽ præconis cęcidit, *Legatum populi Romani homo plebeius temerè amplecti noli*. Lampridius in Alexan. Accusari eum Alexander iussit, probatisq; per testes omnibus, & quib. præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit, & fumo appositio, quem ex stipulis & humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente; *Fumo punitur, qui fumum vendidit*. Quibus addendum etiam est, quod sic diuus Ambrosius in Sermo-

Sermone nonagesimo scribit: Ad hęc insanus iudex iussit eã expoliari, & nudam ad lupanar duci sub voce præconis dicentis, *Agnem sacrilegam virginem, dijs blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam.* Et hanc quidem superindicendi antiquam rationẽ Athenienſibus videntur Romani acceptam tuliſſe. Suidas enim auctor eſt, quum Athenienſes quidam Apollinem contemnerent, & in eius fano ventrem exonerarent, Piſiſtratum id facinus capite ſancientem cuſtodes conſtituiſſe, & quem illi deprehenderant, eum vinctum iuſſiſſe in via flagris cædi, præcone proclamante; ΟΔ' ΑΝΗΡ ΚΟΛΑΣΘΕΙΣ ΑΠΟΘΑΝΕΙΤΑΙ, ΟΤΙ ΟΛΙΓΩΡΕΙ ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΟΣ.

Iudices olim in leges iurare ſolitos, & quid ſit apud Horatium Puteal Libonis.

CAPVT VIII.

IVDICES olim iurare ſolitos ex Cicerone conſtat. Sic enim Act. i. in Verrem ſcribit: Hoc factum eſſe in hac ciuitate, cùm ſenatorius ordo iudicaret, vt diſcoloribus ſignis iuratorum hominum ſententiæ notarentur. In quem locum Aſconius, Iuratorum hominum, inquit, iudicum, qui in leges antequam iudicarent, iurare conſueuerant. Idem Aſconius celebrata reiectione, & ſortitione perfecta, iudices in leges iuraſſe, vt obſtricti religione iudicarent, alio loco teſtatus eſt; addiditq; prætorem non

non iuraſſe, Ciceronis auctoritate motus, qui ſic in eadem actione prima de M. Metello ſcribit: Nunc tamen eo animo ſum, vt eo iudice quàm prætore hanc rem tranſigi malim, & iurato ſuam, quàm iniurato aliorum ſentẽtias coĩmittere. Nimirum quia ſi iudex eſſet Metellus, tabellam iudiciariam iuratus acciperet; ſin prætor, iniuratus tabellas omnium iudicum haberet in poteſtate. Eoque pertinet quod ad hunc modum de Tiberio ſcripſit Annalium libro primo Tacitus: Ad quod exarſit adeo, vt rupta taciturnitate proclamaret, ſe quoque in ea cauſſa laturum ſententiam palàm & iuratum. Et de huiuſmodi quidem iuramento viſus eſt ſentire Iuſtinianus, cùm ita ſcriberet: Cui enim non eſt cognitum antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepiſſe, niſi prius ſacramentum præſtitiſſent, omni modo ſe cum veritate & legum obſeruatione iudicium eſſe diſpoſituros? cap. vlt. in princ. C. de iudicijs. Sanè iuramentum iſtud ad aram præſtari ſolitum, ex Symmacho & diuo Ambroſio probari liquidò poteſt. Cùm enim Gratianus imperator, aram ad quam iurari ſolebat, euerti & complanari iuſſiſſet, huius aræ Symmachus ab imperatoribus Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio reſtitutionẽ obnixè poſtulãs, ſic libro primo Epiſtolarum ſcripſit: Vbi in leges veſtras & verba iurabimus? qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimonijs mentiatur? Omnia quidem deo plena

sunt, nec vllus perfidis tutus est locus. Sed plurimùm valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis vrgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem conuenit singulorum; neque aliud magis auctoritatem facit sententijs nostris, quàm quòd omnia iuratus ordo decernit. Hæc Symmachus. Diuus autem Ambrosius, simul atque huius aræ ab imperatoribus restitutionem intellexit vehementer Symmachum cum suis postulare, id ne fieret, impedire sedulò conatus est, imperatori Valentiniano ad hunc modum scribens: Si hodie gentilis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulachris, & eò conuenire cogeret Christianos, vt sacrificantibus interessent, vt oppleret anhelitus, & ora fidelium cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret vbi iurati ad aram simulachri, in sententiam cogerentur (propterea enim interpretantur aram locatam, vt eius sacramento, vt ipsi putant, vnusquisque conuentus consuleret in medium) cùm curia maiore iam Christianorum numero sit referta, persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad senatum venire: quod fit plerunque: nam etiam iniurijs conuenire coguntur. Te igitur imperatore Christiani in aram iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius quem testare fidei tuæ præsidem, diuinam potentiam confiteri? Te imperatore hoc petitur

petitur, & postulatur, vt aram iubeas eleuari, sumptum sacrificijs prophanis dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te, ne id decernas, statuas, vel in huiusmodi decreta subscribas. Hæc Ambrosius. Cetertùm hanc aram, si non Puteal Libonis appellari, saltem in locum euersi Putealis olim Apollini aut Mercurio (lyris enim exornabatur) consecrati restitutam, & Victoriæ postea consecratam fuisse, diuersis vt credam coniecturis adducor. Puteal enim Libonis ara fuisse videtur in comitio, in gradibus ipsis ad læuam curiæ sita in quam iurari solebat. De quo Puteali sensisse Plautum suspicor cùm sic in Curcul. scriberet:

Qui periurum conuenire vult hominem, mitto in comitium.

Hoc est, ad Puteal Libonis. Dictúmque Puteal à puteo, in quo Accij Nauij nouacula cum cote defossa fuerat. Qua de re sic scribit Liuius libro primo. Statua Accij capite velato, quo in loco res acta est, in comitio in gradibus ipsis ad læuam curiæ fuit. Cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, vt esset ad posteros miraculi eius monumentum. Ab hoc autem cotis & nouaculæ puteo, Puteal nomen accepisse testis est Cicero lib. j. de diuinat. Cotem autem illam, inquit Cicero, & nouaculam defossam in comitio supraque impo-

impoſitum Puteal accepimns. Et Puteal illud, Libonis fuiſſe Puteal, Sextus Rufus in lib. de regionib. vrbis ſatis oſtendit, cùm in octaua regione, quæ forum Romanum dicitur inter ſenaculum aureum & comitium, Puteal Libonis expreſsè collocat, hunc in modum; *Senaculũ aureum: Puteal Libonis: Comitium.* Porro aram fuiſſe Libonis Puteal, non domum, non tribunal, vt quibuſdam eruditis viris eſſe perſuaſum intelligo, ex antiquiſſimis Laurinorum & Huberti Goltzij quibuſdam numiſmatibus animaduerti: in quibus ſub aræ forma coronis longis citharisque exornatæ L. Scribonij Libonis Puteal eo quem hic delineatum vides modo continetur. Inter cetera quæ mihi exhibita fuerunt numiſmata, duo reperi, quorum alterum in anteriore parte ſic inſcriptum erat; BON. EVENT. hoc eſt, *bonus euentus*, alterum ſic; CONCORDIA. Et quia Symmachus aram quam reſtitui poſtulat, cõcordiam tenere omnium expreſsé ſcribit, idcirco aram illam cuius Symmachus & Ambroſius meminerunt, aut Puteal fuiſſe Libonis eſt veriſimile, aut eius certè tandem euerſi, in iureiurando religioſè ſuſcipiẽdo, locum occupaſſe. Siquidem Puteal Libonis ad concordiam & euentum bonum in nummis illis expreſsè refertur: hoc eſt ad iudicum concordiam, ſententiarúmque



rúmque euentum bonum. Ea nimirum formula, qua ſentẽtiarum euentus vendere ſcripſit Iulius Paulus, Sent. lib. v. tit. xxv. in fine. cap. xv. §. xxiiij. de iniurijs. Quo ſenſu Puteal Libonis viſus eſt Horatius accepiſſe, in epiſtola ad Moecenatem tertia, Epiſt. lib. i.

———*Forum Puteálque Libonis*
Mandabo ſiccis.

Quia enim iudices iurare, vt obſtricti religione iudicarẽt, cõſueuerãt, vidẽtur electi iudices ante quã iudicaturi curiã ingrederẽtur, ad Libonis Puteal, quod ad læuam curiæ in gradibus ſitum erat, iuraturi declinaſſe, & inde iureiurando ad aram ſolemniter præſtito, curiam ingredi conſueuiſſe. Eoque arbitror Horatium reſpexiſſe, dum forum Puteálque Libonis mandat ſiccis, hoc eſt ſobrijs & ieiunis hominibus. Quaſi dicat, ſint illi ſobrij, abſtineant illi à luxu & crapula, qui iudices ſortiti ad Puteal Libonis in leges iuraturi ſeſe conferunt. Meminit Epiſtolarum libro quarto Plinius, cuiuſdam ſentuſconſulti, quo qui negotij aliquid haberent, iurare debebãt nihil ſe ob aduocationem cuiquã dediſſe: idque etiam cautum fuiſſe lege Cincia, nemini dubium eſt. Et aduocatos etiam iuraſſe, nihil ſe ob aduocationem accepiſſe, non eſt obſcurum, ſi conſideremus, quid ſibi voluerit Horatius Sermonum lib. ij. Sat. vi. cum ita ſcriberet:

———*Ante ſecundam*
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.

Sensus enim est, Roscius caussam dicturus, te aduocatum postulat. Et quia iurare in aram cum aduocatis suis litigatores solent, hi quidem, nihil se dedisse, cauisse aut promisisse; illi verò, sese nihil accepisse ob aduocationem, idcirco dixit Horatius, Roscium orasse aduocatum suum, vt sibi adesset ad Puteal Libonis, hoc est ad aram illam, in quam huiusmodi iusiurandum solet præstari. Et ita hos duos Horatij locos esse accipiendos omni ausim asseueratione contendere. Alioquin ijs idonea quænam esse potest subiecta sententia? aut quidnam ara illa, quæ Libonis Puteal appellatur, cum curia, cum foro, aut cũ iudicijs haberet commune? Nunc videndum est, quidnam sibi Persius voluerit cùm ita scriberet Satyr. iiij.

———Viso si palles improbe numo,
Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si Puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequicquam bibulas populo donaueris aures.

Sensus est, frustra candidatus te populo commendas, si auarus es, si adulter es, si periurus es. Nequicquam populo donaueris aures bibulas, hoc est quæ tui commendationem sic possint imbibere, vt eius in comitijs velit populus meminisse. Et sic quidem Puteal multa vibice flagellare, nihil esse aliud videtur, quàm peierare. Eos qui in aram iurabant, aram iurantes tenuisse, testis est pro L. Flacco his verbis Cicero

cero: Ergo is, cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo; per epistolam, quod volet, iniuratus probabit? Ideoque si is qui in aram iurabat, peieraret; sic illi diuo, ad cuius aram iurabat, iniuriam facere existimabatur, vt nõ tangere, sed flagellare potius multa vibice suo periurio aram diceretur. Aram igitur tangit, qui ex animi sui sententia iurat, aram flagellat, qui peierat. Eoq; referendum etiam est illud Ouidii.

Si Puteal Ianumque timet, celeresque calendas.

Versum enim hunc de eo debitore esse accipiendum puto, qui peierare timens, occursum fugit creditorum, celeresque vsurarum calendas detestatur.

Iteratarum dictionum obseruatio singularis.

CAPVT IX.

ANVLLIS, quod sciam, interpretibus est animaduersum, iterari interrupto sermone per hypostigmen dictiones interdum consueuisse. Idque elegantiæ potius quàm vitio auctores veteres tribuisse, exemplis aliquot manifestum faciam. Apud Vlpianum sic scriptum inuenio: Non tamen si incantauit, si imprecatus est, si, vt vulgari verbo impostorum vtar, si exorcizauit. capite primo, in princ. de extraordin. cognit. Idem Vlpianus sic etiam scribit: Interdum tamen, etsi scientia noceat, tamen restitutio facienda est. capite quinto.

quod falso tut. Et alijs locis. Interdum tamen, etsi senatusconsulto locus sit, tamen in alium datur actio. cap. vij. §. vii. de S. C. Maced. Interdum tamen, etsi non sint coniuncti, tamē vsusfructus legatus alteri accrescit. ca. j. §. ij. de vsuf. accresc. Nec id etiam visus est neglexisse Cicero, cùm sic ad Plancium scriberet: Sed tamen, etsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere, tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui. Et his quidem exemplis quinque Iohannes Castelius, vir doctissimus, mihique amicissimus, omnium primus obseruauit illud etiā rectè adiungi posse, quòd in Eunuchi prologo sic apud Terentium legitur.

Habeo alia multa, quæ, nunc condonabitur,
Quæ proferentur pòst, si perget lædere,
Ita vt facere instituit.

Et hæc sanè Castelij nostri coniectura, eo videri probabilior potest, quòd sic etiam Celsus de repositis nummis scripserit: At eos quos quis repositos habet, vt quidam bellis ciuilibus factitassent, eos legato contineri. cap. lxxix. de legat. iij. Hæc cùm non considerarent iuris quidam interpretes doctissimi, persuadere conati sunt vnica dictione *Tamenetsi* veteres pro *quamuis* interdum vsos esse. Quibus ego vt non assentiar, cum ijs alioqui plurimum tribuam, certè hæc facit iteratarum dictionum singularis obseruatio.

De

De pœnis iniustè prouocantium, & quæ dicatur præiudicialis multa.

CAPVT X.

QVI iudicio inter se contendebant, hi inuicem se sacramēto interdum quingentenario, interdum quinquagenario prouocabant. Nam qui petebat & qui inficiabatur, de alijs rebus vterque quingentos asses, de alijs item certum alium & legitimum numerum assium apud pontificem siue ædituum, hoc est in æde sacra deponebat. Qui autem iudicio vicerat, is suum sacramentum ex loco sacro auferebat, victi ad ærarium redibat, quemadmodum à Festo & Varrone traditum est. Rursus, si ab huiusmodi iudicio is qui victus erat, prouocaret, sponsionem faciebat, *Ni iustè prouocasset:* eaque sponsione ab ea parte quæ succubuerat, certus solet assium numerus deponi, quem is qui iudicio vicerat, si prouocatum ab aduersario suo iniustè videretur, auferebat. Quòd si deponere nihil vellet appellator, saltem de certa æris pœna, ex die acceptorum apostolorum intra diem quintum idoneè cauere datis fideiussoribus cogebatur; quāuis interim expeditius esse scripserit Iulius Paulus, pœnam ipsam, hoc est certū numerum assium, aut quid aliud pro pœna deponere, quam de pœna prestanda cauere. Et ita quidem inter se differre videntur cautio & sponsio. Sponsio enim rectè fieri sine cautione potest;

cautio verò sine sponsione non rectè pœnis iniustè prouocantium applicatur. Nam si paratus esset appellator pœnam deponere, quanuis ea sine sponsione deponi non potuerit, nulla tamen opus erat cautione, nullisque tabulis. Idque sibi visus est Paulus voluisse cùm ita scriberet Sententiarum libro quinto, titul. xxxiij. Cùm à pluribus sententijs prouocatur, singulæ cautiones exigendæ sunt, & de singulis pœnis spondendum. Ceterùm hanc sponsionum & cautionum antiquam obseruationem visi sunt primi sustulisse imperatores Diocletianus & Maximianus. capite sexto, in fine. C. de appellationib. Et tunc quidem in locum cautionis sponsionisque ea videtur indicendæ prouocantibus multæ ratio successisse, de qua Gratianus, Valentinianus, & Theodosius ita scribunt: Prouocantibus multas, nisi ex nostris decretis non patimur imponi. capite quadragesimo tertio. Cod. Theodosian. de appellationibus. Sensus enim est, non litigatorum amplius arbitrio statuendas esse iniustè prouocantium pœnas, sed maiorum, qui de appellationibus cognoscunt, iudicum decretis. Solent tam ad ipsos imperatores, quàm ad præfectos prætorio, præsides, aut proconsules ab inferioribus iudicibus appellationes fieri. Et idcirco in hoc rescripto quod ad ducem Ægypti dirigitur, hec verba, *Ex nostris decretis*, sic accipienda sunt, vt ea de iudicialibus

libus, non autem de aliquibus imperialibus principum decretis intelligi debeant. Igitur ex nostris decretis, hoc est, ex maiorum de appellationibus cognoscentium iudicum decretis pœnæ prouocantibus imponi debent. Et ita quidem abolita fuisse videtur de pœnis iniustè prouocantium cauendi & spondendi vetus ratio, inque eius locum hæc multæ iudicum decretis prouocantibus indicendæ auctoritas successisse. Hæc cùm ita se habeant, nunc etiam mihi in mentem venit, eandem hanc multam posteriores imperatores, aliósque Latinos auctores, præiudicialem appellasse: nimirum rem iudicatam rectè præiudicium dici non ignorantes. Sic enim præiudicium accepisse videntur ijdem illi quorum iam memini imperatores. Obiecta, inquiunt, appellatione, etiam si à præiudicio interposita dicatur, vel ad nos vel ad cognitorem sacri auditorij solemniter caussa mittatur. capite quadragesimo quarto. Cod. Theodosian. de appellationib. Sensus enim est, non à nominatione duntaxat, aut alijs grauioribus decretis, sed etiam à præiudicio, hoc est à re iudicata, appellari & principes & prætorio præfectos posse. Et hanc quidem huius rescripti interpretationem nostram mirum in modum confirmat Cassiodorus, sic libro quarto Variarum scribens: Vir spectabilis Liberius dolenda nobis aditione suggessit, coniu-

iugem ſuam in veſtro iudicio contra iuris ordinem prægrauatam. Quod ſi ita eſt, remotis præiudicijs apud arbitros, quos partium conſenſus elegerit, te imminente, cauſſa legibus audiatur. Hæc Caſſiodorus. Eſt enim in hoc loco aliud nihil, *Remotis præiudicijs*, quàm *nulla prorſus rerum prius iudicatarum habita ratione*. Igitur præiudicium nihil aliud interdum eſt, quàm res prius iudicata. Indéque multam decretis iudicū prouocantbus impoſitam appellari præiudicialem aut præiudicij multam conſueuiſſe eſt veriſimile, quòd ea propter præiudicium, hoc eſt rem prius iuſtè rectéque iudicatam, & temere audacia furoris appellatam indiceretur. Quo ſenſu iudiciaria auctoritate præiudicialis multæ excipere & ſuſtinere iacturam, ſcripſerunt imperatores cap. I. & lxv. C. Th. de appellat. Et hanc quidem præiudicialis multæ interpretationem cōfirmat Symmachus, ſic Theodoſio Auguſto ſcribens. epiſt. lib. j. Nec officium partibus defuit, ad multam præiudicij ſuggerendam. Et in epiſt. xxxvij. eiuſdem libri primi: Tunc, inquit, auditorij ſacri iudex, rectoris affatu ſuper appellatione eſt conſultus, & præiudicialem multam ſtatuit prouocationibus inferendam. Et paulò pòſt in eadem epiſtola: Nam & vir ſpectabilis deceſſor meus, cùm multam didiciſſet exactam, quam decreto ſacri auditorij appellatio præiudicialis agnouerat, ſtatuit cauſſam criminis ad ſe debere transferri. Idem Symmachus multam hanc ad ærarium pertinuiſſe, in eadem epiſtola expreſsè teſtatur, his verbis: Sed cùm & tempus reparationis eſſet emenſum, & pœnam probationis aut expectaret aut ſumpſiſſet ærarium, pronuntiaui cognitionem ſacri eſſe iudicij. Et hæc de pœnis iniuſtè prouocantium.

Quæ ſint vela regia.

CAPVT XI.

PROHIBENT Theodoſius & Valētinianus imperatores, ne quis priuatus vela regia ſuſpendat. cap. ij. C. Vt nemo priuatus. Si me rogaueris quæ vela dicantur regia, reſpondebo, vela purpurea, auro pretioſiſque lapillis & gemmis prætexta, quibus imperatores, alijque reges, & ſummi principes in ſuis palatijs vti conſueuerunt. Sic vela regia viſus eſt Tertullianus accepiſſe, in lib. de habitu mulierbri. Sed & parietes, inquit, Tyrijs & hyacinthinis, & illis regijs velis, quæ vos operoſè reſoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur: vilior eſt apud eos purpura quàm rubrica. Haud dubiè per vela regia, purpurea vela intelligens. Idque ex Plinio euidenter poteſt intelligi. Sic enim Nat. hiſt. lib. xix. cap. i. ſcribit. Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodémque effugit; hoc fuit imperatoriæ nauis inſigne. In hoc enim loco per velum purpureum, regium velum ſiue imperatorium intellexit

tellexit omnino Plinius. Hæc vela alio nomine appellata fuisse videntur aulæa Attalica. De quibus libro nono capite primo sic scribit Valerius Maximus: Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius, tunc cùm in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi patiebatur, cùm Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur? Ex quo loco aulæa Attalica fuisse vela pretiosissima constat, quibus ipsi etiam reges vtebantur. Et ideirco non satis intelligo an rectè scripserit Nonius Marcellus, aulæa genus esse vestis peregrinæ: hunc proferens ex libro tertio, de vita populi Romani Varronis locum; Ex hereditate Attalica aulæa, Chlamides, pallæ aureæ. Fortassis rectius esse genus veli peregrini, & quidem pretiosissimi, aulæa Attalica scripsisset Nonius. Habebant autem veteres quædam vela ornamenti, quædam instrumenti loco. capite duodecimo. §. xi. de instrum. & inst. legat. Et quia ipsos reges summósque principes in ornamentis sic imitari homines quidam priuati non verebantur, vt in redimendis pretiosissimis quibúsque tabulis tam sculptis quàm pictis, velisque etiam regijs, sumptus enormes profunderent, quibus plerique prodigalitate nimia ad extremam redigebantur necessitatem, vtile visum fuit Theodosio prohibere, ne quis priuatus vela regia suspendat; hoc est, ne quis priua-

priuatus regijs velis parietes suos exornet, sed aulæis vulgaribus contentus sit. Et huic quidem interpretationi nostræ omnino consentaneum est, quod sic ad Marcellam scripsit diuus Ambrosius, Epistolarum libro quinto: Illic nuntiatum est mihi comperto, quòd ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, vt vela suspenderent. Nam per huiusmodi vela cortinas intelligi regias, expressè testatur idem Ambrosius. Sic enim de velis ijsdem sentiens in eadem epistola scribit: Dum hæc tracto, suggestum est mihi cortinas regias esse collectas. Et paulo pòst: Postea verò quàm cognoueram cortinas regias inde sublatas. Ecce, quæ modò vela dixerat, ea nunc cortinas regias Ambrosius appellat: Haud dubiè per vela regia, cortinas regias, & per regias cortinas vela regia intelligens.

De iure publico.

CAPVT XII.

CONSECRATIONEM iuris fuisse publici testatur expressè Cicero pro domo sua: Dico, inquit, apud Pontifices, augures adsunt, versor in medio iure publico. Vlpianus cùm publicum ius definiret, ius illud esse publicum dixit, quod ad statum rei Romanæ spectat. capite primo. §. primo. de iustitia & iure. Quo in loco malè legitur

Rei

Rei Romanæ; legendum enim esse, *Reip. Romanæ*, ipsa publici iuris definitio postulat. In his autē quæ ad statum reipublicæ Romanæ spectabant, adhibitos olim ante legem regiam augures interdum & pontifices fuisse, populúmque in comitium vocari consueuisse, si quid deo ritè consecrandum esset, si qui sacerdotes, si qui magistratus creandi, neminem tam mediocriter in historijs versatum puto vt id ignoret. Proinde quonam iure tunc magistratus sacerdotésque crearentur, & consecrationes fierent, si quis interrogaret, nōne diceres iure publico? At postea quàm populus omne ius, omnémque potestatem suam in principem transtulit, quale ius in principem fuisse translatum dices? nónne ius populi? nónne ius publicum? Quid est enim aliud ius publicum, quàm ius populi? Quamobrem quis est qui non intelligat, publicum ius lege regia sublatum esse, & ob id nulla illius iuris in iure ciuili nostro extare vestigia? Sanè cùm Aristonem peritissimum & priuati iuris & publici, partémque iuris publici, ius senatorium esse scriberet Plinius Epistolarum lib. viii. indicans ius publicum, eiúsque partem senatoriū lege regia prorsus abolitum esse, hæc verba subiecit: Priorum temporum seruitus, vt aliarum optimarum artium, sic etiam iuris senatorij obliuionem quandam & ignorationem induxit. Quotus enim quisque tam patiens, vt velit discere quod in vsu non sit habiturus? Nec

Nec aliò mihi visus est Iuuenalis respexisse Sat. x. sic de populo Romano scribens:

———*Nam qui dabat olim*
Imperium, fasces, legiones, & omnia, nunc se
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panā & circenses.

Idque considerans Vlpianus, ius publicum in sacris, sacerdotibus, & magistratibus constitisse ait, non autem, vt malè in omnibus exemplaribus, solis Florētinis exceptis legi videmus, consistere. d. §. i. per sacra, non sacrificia, sed dedicationes, & consecrationes; per sacerdotes, solemnes eorum sortitiones, apprehēsiones, inaugurationes, electionésque; & per magistratus, comitia cōsularia, prætoria, tribunitia, ædilitia, & sic deinceps, intelligens. In ijs enim omnibus publicum ius olim constitit. Eoque iure sublato, princeps loca publica dedicabat, non populus, cap. ix. de rer. diuis. Apud principem lege curiata præsente populo arrogationes fiebant, quæ antea calatis comitijs auctore populo peragi etiam sine auctoritate principis iure publico solebant, teste Gellio Noc. Attic. lib. v. cap. xix. Caio ca. ij. de adopt. et Cicerone pro domo sua. Et certè apud principem arrogationes duobus fieri modis cōsueuisse, suo loco demōstrabitur; vno quidem, lege curiata, altero lege regia. Lege curiata, præsente conuocatoque populo; lege regia, per rescriptum sine præsentia populi. Idque hinc euidētissimum est, quòd feminæ, quas

lege curiata arrogari posse negat Gellius, regia lege arrogẽtur rectè per principis rescriptũ. ca. xxi. de adopt. Eadem lege regia princeps nõ populus sacerdotes faciebat. Qua de re scribit ad hunc modum Plinius Epist. lib. iiii. Gratularis mihi quòd acceperim auguratum. Iure gratularis: primùm, quòd grauissimi principis iudicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est. Idem Plin. imperatori Traiano sic etiam scribit Epist. li. x. Rogo dignitati, ad quam me prouexit indulgentia tua, vel auguratũ, vel septemuiratum, quia vacat, adijcere digneris. Magistratus quoq; principem creasse, non ex Modestino solùm, ca. i. de I. Iul. amb. sed etiam ex eodem Plinio constat, qui sic lib. iiii. Epist. scribit: Vt nouissimus à Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus quos Nero consules fecerat, decessit. Illud nunc reliquum est, vt dispiciamus quo sensu scripserit Papin. testamenti factionem non priuati, sed publici iuris esse, cap. iii. Qui test. fac. pos. Olim testamenti factio iuris idcirco fuisse publici videtur, quòd testamẽta, non minus quàm magistratus, sacerdotes, consecrationes, adoptionésque, calatis comitijs publica, hoc est populi Romani, opus haberent auctoritate. At postea quàm sublato iure publico calatis comitijs testamenta condi desijssent, & priuato iure per æs & libram sic conderẽtur, vt ne principalis quidem in ijs interponeretur auctoritas, dubium non videtur, quin testamenti factio

ti factio omnino publici iuris esse desierit: præsertim si rectè Theophilus ait, cùm primùm per æs & libram condi cœperant testamenta, tunc longo tempore antiqua illa calatis comitijs, & in procinctu testamentorum genera in desuetudinem abijsse. Erat igitur non publici, sed priuati iuris testamenti factio tempore Papiniani, hoc est iuris ciuilis. habita videlicet consideratione antiquæ cuiusdam publici priuatique iuris differentiæ, lege regia prorsus abolitæ. Ad quam differentiam Papinianum suspicor respexisse, & sic notis scripsisse. *Testamenti factio non P. sed P. I. est.* Hoc est testamenti factio non publici, sed priuati iuris est. Et idcirco aut notis deceptum esse Tribonianum verisimile est, qui publici non priuati iuris testamenti factionem esse contendit, aut certè eius librarios verborum transpositione, quod fieri frequenter solet, turpissimè lapsos, aut denique calatis comitijs, quod mihi non videtur, etiam Papiniani tempore fieri testamenta consueuisse. Nec ijs assentior, qui Accursium secuti, testamenti factionem sic apud Papinianum interpretantur, quasi Papinianus contenderit, ius testamentorum faciendorum tribui iure publico & legibus. Nihil enim aliud apud Papinianum quæritur quàm testamenti factio, non quo iure cuiquam tribuatur, sed cuius iuris sit; hoc est, quo iure fiant testamenta, publico ne an priuato, publicè ne an

priuatim: sicut quęrimus magistratuum creatio, consecratio, aut adoptio, cuius iuris sit; hoc est, quo iure creentur magistratus, res consecrętur, adoptiones fiant. Est igitur priuati iuris, non publici testamenti factio. Et licet legibus ea tribui rectè dicatur, malè tamen ytioseque habito alicuius priuati iuris respectu, tribui publico iure eadem existimatur. Lege enim regia ius publicum penitus sublatum, in principem constat translatum esse, & per consequens omnem abolitã publici priuatique iuris antiquam differentiam. Igitur non publico sed ciuili, hoc est, priuato iure tribui faciendi testamenti ius & potestas solet. Et hoc quidem toties dicendum est, quoties priuato iuri publicum ius opponitur, quod ante legem regiam fieri perpetuò solebat. At postquam lex esset lata regia, quod ante eam legem priuatum dicebatur, hoc tunc & esse & appellari ius publicum cœpit. Quo sensu ius publicum accepisse visus est Papinianus, in cap. xv. §. ij. Ad leg. Falcid. Et cùm ius publicum priuatorum pactis mutari non posse, scriberet idem Papinianus cap. xxxviij. de pactis: non dubium est, quin priuatum, hoc est ciuile ius, per publicum intellexerit. Atque hæc quidem hactenus de iure publico: de quo pessimè disserunt & sentiunt omnes alij.

Responsum quoddã Martiani integrũ nõ videri, & illud quomodo restitui possit obiter demõstratũ.

CAPVT XIII.

Ex hoc

EX hoc quæsitum est, inquit Martianus, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta, aut expulsa ciuitate, pepererit, liberũ an seruũ pariat: & tamen rectius probatum est, liberum nasci, & sufficere ei, qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse. cap. v. §. iij. de statu ho. Quĩ locum hunc interpretantur, sedulò conantur ostendere quomodo femina ciuitate expulsa libertatem perdat. Et quia deportatione libertas non adimitur, quæ deportatio expulsionis quædam species est; nonnulli idcirco de libertate quæ iuris duntaxat Quiritium est, hunc locum esse accipiendum contenderunt. Sed falluntur. Vnam enim eandèmque libertatem ancillis ijsque feminis quæ expulsæ sunt ciuitate, visus est ademisse Martianus. Et idcirco mihi planè persuasum habeo, locum hunc imperfectum esse, & sic restituendum: *Ex hoc quæsitum est, si ancilla prægnas manumißa sit, deinde ancilla postea facta, aut expulsa ciuitate pepererit, liberum an seruum, ciuem an peregrinum pariat: & tamen rectius probatum est liberum & ciuem nasci, & sufficere ei qui in ventre est, liberam matrem, vel ciuem medio tempore habuisse.* Et hanc quidem restitutionem nostram vera huius responsi sententia omnino postulat. Duæ enim hîc à Martiano proponuntur quæstiones diuersæ; vna quidem, de eo qui ex ancilla medio tempore libera natus est, altera verò de eo qui nascitur ex peregrina, quæ ciuis

Romana etiam medio tẽpore fuit. Et ad vtramque quæstionem hanc, visus est Martianus respondisse, liberum nõ seruum ex ancilla huiusmodi, & ciuem non peregrinum ex huiusmodi peregrina procreari cap. xviij. de statu hom. cap. vi. §. ij. de hered. instit. cap. ij. §. j. ad Sc. Tertill. Cur autem hæc verba, *Ciuem an peregrinum*, & alia his similia deleta fuerint, illud fortassis in caussa fuisse existimari potest, quòd veteres peregrinitatis controuersias abolitas esse sibi persuasum Tribonianus habuerit. Eúmque non reprehenderem, si hæc quoque verba, *Aut expulsa ciuitate*, deleri fecisset. Ijs enim retentis & deletis alijs, dici non potest quàm sint omnia in hoc responso perturbata, quàm absurda, ne dicam inepta. Ipse Tribonianus sententiã hanc meam vehementer cõfirmat. Hunc enim eundem Martiani locũ, ijsdem planè verbis sub titulo de ingenuis, institutionum libro primo referens, hæc verba, *Aut expulsa ciuitate*, sciens prudens omisit, Quòd sanè nõ fecisset, si ad aliam illam, quæ ab eodem Martiano tractabatur, peregrinitatis controuersiam, ea verba pertinere, tandem absolutis editísque pandectis, cùm iã institutionibus componendis operam daret, non animaduertisset. Aut igitur in hoc responso delenda sunt hæc verba, *Aut expulsa ciuitate*, vel certè illa, quæ superius posui, addenda. Et ita mihi videtur.

De

De ludis Circensibus explicantur leges quædam obscuriores.

CAPVT XIII.

THEODORVS Balsamon Synodi quæ fuit in Trullo canonem interpretans vigesimum quartum, auctor est populum Circenses ludos exhibuisse expensis proprijs, domos, equos, stabula, & reditus habuisse pro curriculis huiusmodi celebrandis. Idque sibi voluisse visus est Vlpianus, dum inter publica ciuilia munera, equorum Circẽsium spectacula referret, cap. j. De munerib. Cui planè cõsentaneum est, quod ad hunc modum in vita sancti Hilarionis scribit diuus Hieronymus: Sed & Italicus eiusdẽ oppidi municeps aduersus Gazenses duumuirum Marnæ idolo deditũ, Circenses equos nutriebat. Hoc siquidem in Romanis vrbibus iam inde seruatur à Rumulo, vt propter felicem Sabinarum raptum, ab ipso quasi consiliorum deo, quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis aduersæ fregisse victoria sit. Hic igitur æmulo suo habente maleficum, qui dæmoniacis quibusdam imprecationibus, & huius impediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad beatũ Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quàm se defendi obsecrauit. Ineptum visum est venerando seni, in huiusmodi nugis orationem perdere. Cum subrideret & diceret: Cur enim non magis equorum pretium

pro salute animæ tuæ pauperibus erogas? Ille respõdit, functionem esse publicam, & hoc non tam se malle quàm cogi: nec posse hominem Christianum vti magicis artibus, sed à seruo Christi potius auxilium petere, maximè contra Gazenses aduersarios dei, & non tam sibi quàm ecclesiæ Christi insultãtes. Rogatus ergo à fratribus qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueuerat, aqua iussit impleri, eique tradi. Quem cùm accepisset Italicus, & stabulũ, & equos, & aurigam suum, rhedam, carcerúmque repagula aspersit. Mira vulgi expectatio. Nam & aduersarius hoc ipsum irridẽs, diffamauerat, & fautores Italici certam victoriam pollicẽtes, exultabant. Igitur dato signo, hi aduolant, isti præpediuntur; sub horum curru rotæ feruent, illi præteruolantium terga vix cernunt: clamor fit vulgi nimius, ita vt ethnici quoque ipsi concreparent, Marnas victus à Christo est. Hæc diuus Hieronymus. Ex quo loco illud etiam videtur intelligi, quod sic de agitatoribus maleficũ audientibus Valentinianus, Theodosius & Arcadius imperatores scribũt: Quod si quisquam ex agitatoribus contra hoc interdictum venire tentauerit, vltimum supplicium non euadat. ca. fi. C. de malef. Dubium enim non est, quin de ijs agitatoribus senserint imperatores, quos maleficum audientes, demoniacis quibusdam imprecationibus aduersariorũ equos impediuisse, & suos ad cursum incitasse, scribit diuus Hieronymus.

nymus. Id enim agitatores facere interdũ consueuisse, non Hieronymus solùm, sed Arnobius etiam expressè testatus est, aduersus gentes lib. j. sic de maleficis scribens: Quis enim hos nesciat aut sine clauibus reserare quæ clausa sunt, aut ora silentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare? Eoq; pertinet quod ita Cassiodorus Variarum libro tertio scribit: Suscepit partem populi protinus inclinatam, & quos ipse fecerat tristes, laborauit iterum reddere lætiores, modò agitatores arte superans, modò equorum velocitate transcendens: Frequentia palmarum eum dici faciebant maleficum. Illud etiam obseruari solet, vt agitatores, omnésque alij qui sacris deseruiunt certaminibus, ignominiosi non habeantur. ca. iiij. in princ. de his qui not. inf. quamuis scripserit in libro de spectaculis expressè Tertullianus, eos ignominia damnari solitos. De ijs enim solis sentire Tertullianũ arbitror, qui quæstus caussa in certamen prodeunt. Huiusmodi siquidem homines notari infamia consueuisse, nec ipsemet inficias ire Vlpianus potest. Eos, inquit Vlpianus, qui quęstus caussa in certamina descẽdunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse Pegasus & Nerua filius respõderunt: cap. ij. in fi. de his qui not. infa. Haud dubiè certaminũ appellatione, Circensia etiam certamina intelligens. In huiusmodi enim certamina quæstus caussa nonnullos olim descen-

disse, satis indicat idem Vlpianus, cùm ita scribit: Equitij quoque legato vsu, videndum ne & domare possit, & ad vehendum sub iugo vti: sed & si fortè auriga fuit, cui vsus equorum relictus est, non puto eum Circensibus his vsurum; quia quasi locare eos videtur. Sed si testator sciens eum huius esse instituti & vitæ reliquit, videtur etiam de hoc vsu sensisse. cap. xij. §. iij. De vsu & habit. Sensus enim est, si aurigæ, qui in certamen quæstus caussa solet descendere, vsus equitij fuerit legatus, aurigã illum equis huiusmodi in Circensi certamine hac sola de caussa vti non posse, quòd ipse suam operam locans, equos etiam quodammodo videatur locare, quódque is cui rei alicuius relictus est vsus, ipse quidem vti ea re possit, sed nõ vtique alteri eam locare, aut commodare. Et id quidem tunc demum verum esse ait Vlpianus, si testator ignoret eum huius esse instituti, & vitæ, cui reliquit vsum equitij. Nam si sciret testator, & sciens equitij legauerit vsum aurigæ, de hoc vsu videtur etiam sensisse. d. §. iij. Et hæc hactenus de Circensibus ludis; de quibus si plura quis desideret, inueniet Tertulliani de spectaculis librũ singularem, in quo tam perspicuè de omnibus spectaculorum generibus disseritur, vt prolixioribus commentarijs ea res vix vllis indigeat. Est etiam in iij. lib. Variarũ Cassiodori epist. quædam Theodorici ad Faustũ, in qua plenissimè Circensis totius certaminis ratio explicatur. Quæ

Quæ sint inimicitiæ capitales.

CAPVT XV.

SOLENT veteres, si quæ graues inter eos inciderent simultates, amicitiã solẽni quadam ratione renuntiare, & inimicitias præsentibus superstitibus profiteri. Quem morem euidenter visus est Suetonius expressisse in vita Claudij, cùm scriberet Germanicum Pisoni amicitiam renuntiasse. Verba Suetonij hæc sunt: Ac ne tũc quidem vltra progressus, quàm vt & amicitiam ei renuntiaret, mandarétque domesticis vltionem, si quid sibi accideret. Ad hũc morem videtur etiam Valerius Maximus respexisse, lib. iiij. Ait enim Tiberium Gracchum tribunum plebis inimicitias ex professo cum Africano & Asiatico Scipionibus gessisse. Idem Valerius in eodem libro sic de Metello Macedonico scribit: Acerrimè cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorúmque ab æmulatione virtutis profecta contentio ad graues testatásque inimicitias progressa fuerat. Nec id quoque visus est Sidonius Apolinaris ignorasse, qui sic Epist. libro septimo scribit: Inimicitias indictas honestè exercet, tardè credit, celeriter deponit. Cicero etiam auctor est, inimicitias olim denuntiari solitas. Sic enim pro Lucio Flacco scribit: Etenim cùm à clarissimis viris iustissimas inimicitias sæpe cum bene meritis ciuibus de-

bus depositas esse vidissem, non sum arbitratus quenquam amicum reipublicæ, posteaquam L. Flacci amor in patriam perspectus est, nouas huic inimicitias nulla accepta iniuria denuntiaturum. His addatur sic etiam lib. x. Epist. Senecam scripsisse: Inimicitias mihi denuntias, si quicquam ex his quæ quotidie facio, ignoraueris. Et de ira lib. iij. Hortensius, inquit, simultates tibi indiceret, & Cicero, si derideres carmina eius, inimicus esset. Et hæc quidem cùm ita sint, nũc mihi videor intelligere, quales inimicitias appellauerint iurisconsulti capitales. cap. xviij. in fin. de procurat. cap. xv. de recept. arbit. cap. vi. de excusat. cap. iij. §. ix. de adim. vel transfer. leg. cap. ix. de his quæ vt indig. §. Item si propter. Inst. de excus. Eas nimirum, quas alter alteri testatò denuntiauerat. Certè quia sanguinem & vindictam spirabant ex professo, indeque capitales appellatæ videri omnino possunt. Nec aliud mihi voluisse visus est Seneca, cùm sic de ira lib. iij. scriberet: Quid iuuat tanquam in æternum genitos iras indicere, & breuissimam ætatem dissipare?

Explicatur Titulus xvij. Libri secundi Codicis Iustiniani Cæsaris.

CAPVT XVI.

EXTAT in secundo libro Codicis Iustiniani Cæsaris huiusmodi titulus, *Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa rebus imponere alienis*. Hic titulus præter insignem quam

præ se fert obscuritatem, mendosus est. Quorsum enim illud *Alienis*? Sanè in antiquis exemplaribus non *Alienis*, sed *quas alius detinet*, expressè scriptum inuenimus in hac epigraphe, eaque mihi lectio visa est probabilior. Sub hoc enim titulo duæ ponuntur diuersorum principum constitutiones & in vtraque non de rebus alienis, sed de ijs mobilibus rebus controuersis agi videtur, quas alius detinet, hoc est, quæ aut apud iudicem ipsum, aut apud sequestrem, aut etiam in æde apud ædituum custodiæ caussà deponuntur. Idque significare videntur hæc verba; *Rebus quas alius detinet: rebus quas alius tenebat: rebus & fructibus apud te constitutis*. Huiusmodi rebus imponi signa noluerunt imperatores, hoc est annulis signa imprimi. Idque Festi auctoritate cõfirmatur, quem sic scripsisse accepimus: Signare significat modò scribere, modò annulo signa imprimere, modò pecora signis notare. Huic etiam illud consentaneum est, quod ad hunc modum de asino lib. x. scribit Apuleius: Sed ne fortè aliquis inquam istorũ, quos offers, aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo prænota, donec altero die nummulario præsente comprobentur: sic inductus signauit pecuniam. Et paulo pòst: Donec iussu magistratuum ministeria publica contrectatis nequissimi serui manibus, annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt. Adde,

moris

moris olim fuisse vt res quisque suas etiam minutissimas annulo signaret. Idq; testatus est expressè Plinius Nat.hist.lib.xxxiij.ca.i. Sic enim scribit: Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque & potus vindicantur annulo a rapinis. Eoque nõ dubium est quin Valerius respexerit lib.vij.cap.ix.de M.Popilio ita scribens: Vnum etiam de multis qui assidebãt, vltimo complexu & osculo dignum iudicauit, sempérq; annulos quoque suos ei tradidit; videlicet ne quid ex ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quibus etiam non incommodè addi potest, quod de claubus & annulis maiori natu filiæ traditis scribit Papinianus.cap. lxxvij. §.xxi. de leg.ij. Et ex his quidem locis omnibus satis arbitror intelligi posse, sic imponi rebus litigiosis signa imperatores vetuisse, vt nullos ex litigatoribus rebus controuersis custodiæ sequestrationísue caussa depositis, sine iudicis auctoritate, signa imponere tanquam proprijs paterentur. De rebus autem litigiosis in hoc titulo tractari ex his verbis probari potest, *Ante sententiam*; & ex illis, *Vt amotis his, caussa quæ ex officio tibi inferatur, terminetur*. Cur autem passi non sint imperatores huiusmodi rebus imponi signa, hæc proferri ratio potest, nimirum quòd signa rebus duntaxat proprijs potuerint imponi; quarum numero non posse res litigiosas comprehendi, tam palàm est, vt huius rei caussa nullius iuris cõsulti

consulti schola intranda sit. Porrò de his qui titulos prædijs suis vel alienis imponũt, scripturus fauẽte deo sum alio loco, titulum illũ, quem huc referendum plerique somniant nouo veróque sensu explicaturus.

Quo sensu scripserit Celsus, Pecuniam sine peculio fragilem esse.

CAPVT XVII.

IGNORANT interpretes quid sibi voluerit Celsus cùm ita scriberet: His verbis, *Quæ ibi mobilia mea erunt, do lego*, nummos ibi repositos vt mutui darentur, non esse legatos Procu lus ait; at eos, quos præsidij caussa repositos habent, vt quidam bellis ciuilibus factitassent, eos legato contineri: & audisse se rusticos senes ita dicentes; Pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes, quod præsidij caussa seponeretur.capit.lxxix.de legat.iij. Varro scribit, de lingua Latina libro quarto, præsidium esse dictum, quia extra castra præsidebant in aliquo loco, quò tutior regio esset. Siue, vt Festus definit, præsidium est, quod vtilitate & salute alicuius, auxilij gratia præponitur. Sunt ergo milites præsidiarij qui vtilitate & salute totius exercitus, extra castra præsidebant, hoc est, qui castris auxilij gratia præponebantur: Hinc deinde factum videri potest, vt

pro

pro exercitu etiam præsidium veteres interdum posuerint per Senecdochen. cap. v. in princ. de capt. & postl. Et sic quod reponitur præsidij causſa, rectè exercitus causſa dici repositum po teſt. Nam cùm ad Attic. scriberet. Cic. Italiam totam armis præsidijsque teneri, an nō per præsidia συνεκδοχικῶς exercitus intellexit? Vlp. auctor est, ob transitum exercitus conferri quid à rusticis ex fructibus olim solitum. cap. xxvij. §. iij. de vsuf. Proinde quis hinc non intelligit, quid sibi Celsus & Proculus voluerint, cùm pecuniam sine peculio scriberent esse fragilem? Peculium est, inquiunt illi, quod præsidij, hoc est exercitus transeuntis causſa seponitur: siquidem tunc ex fructibus sic conferre solent rustici, vt aut certam præstarent fructuum portionem, aut eam certa nummorum quantitate redimerent. Proinde qui boni esse patresfamilias volebāt, hi seponebāt certā pecuniæ summam, qua huiusmodi fieri, vt sæpe bellis ciuilibus contingebat, fructuum redemptio posset. Et id quod ita sepositum erat, appellabant rustici peculium suum. Fortaſſis ea ratione qua seruule peculium nomen accepit. Quemadmodum enim hac potissimùm ratione peculium sedulò conuasant serui, vt tandem se peculio suo redimant ex seruitute; sic rustici, vt militibus debitam redimerēt fructuum portionem, præsidij causſa seponebant nummos aliquot. Sine qua sepositione omnis eorū pecunia tam fragilis

fragilis erat, vt ea exercitu transeunte plerūque tota prodigeretur. Posse etiam hunc locum sic intelligi, vt præsidij causſa dicatur id seponi, quod militum metu abscōditur, partim fortaſſis ex prauis militum moribus, partim etiam ex his Celsi verbis, *Vt quidam bellis ciuilibus factitaſſent*, obscurum quibusdam non videtur. Sed magis arridet interpretatio prior. Certè quia causſam præsidij ad præsidij metum trahere durum est.

Emendatur, & explicatur Cap. Vltimum, D. De in integ. restitut.

CAPVT XVIII.

EXISTIMO apud Macrum pro *Contra rempublicam* omnino legendum esse, non *Contra rem iudicatam*, sed *Contra rem publicatam*, in d. cap. vlt. Quasi ita scriptum fuerit, *Contra rem public.* quod tam rem publicatam quàm rempublicam significat. vt sit sensus, non solùm minori viginti quinque annis, & maiori causſa reipublicæ absenti contra rem iudicatam succurri, sed etiam contra rem publicatam, hoc est etiam post rei iudicatæ executionem, nimirum cùm iam à creditoribus res addicta publicatur, hoc est venalis proscribitur. Id enim quod publicè propositum erat venale, siue ad publicam ærarij, siue ad priuatam spectaret alicuius commoditatem, publicari propriè dicebatur. capit. xi. §. 1. in fine. quod vi aut clam. Quo sensu *edictis publicare* in libro Aduersus Constantium

Augustum scribit Hilarius: Vel detracta templis, inquit, vel publicata edictis, vel exacta pœnis deo ingeris. Et id quidem adeo verum est, vt etiam illi qui proscribebantur, publicari dicerētur, quemadmodum ex Tertulliano et Suetonio constat. Sic enim in lib de fuga in persecutione scribit Tertullianus: Publicaris inquit, bonum tibi est; qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in deo. Et Suetonius in Claudio: Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicauit. Eóque etiā pertinet illud Lāpridij in Alexandro: Mulieres infames, quarum infinitū numerum deprehenderat, publicari iussit, exoletis omnibus deportatis. Est igitur publicare proscribere, est etiam proclamare. Quod enim à præcone proclamatur, id rectè publicari etiam dicitur. Res quę ad ærarium deferebātur, simul atque edictis essent publicatæ, apud erarium interdum auersione, plerunque sectione distrahebantur. Quod qua ratione accipiendum sit, alio loco demonstratum est. Hæc autem verba, *Cognita scilicet caussa*, sic etiam accipienda puto, quasi cōtenderit Macer, cognitione, hoc est extra ordinem minori, & appellationis medio, hoc est ordinario iure maiori in hac specie succurri. capite decimoseptimo & quadragesimo secundo de minoribus. Ea, nisi fallor ratione, qua sic apud Suetonium in vita Claudij scriptū inuenimus: Alium interpellatum ab aduersarijs de propria lite,

lite, negantémque cognitionis rem, sed ordinarij iuris esse, agere caussam confestim apud se coëgit.

Quid sit apud Vlpianum, Extra ordinem ferias indicere.

CAPVT XIX.

FERIAS indici & proclamari consueuisse auctor est M. Varro. Sic enim de lingua Latina libro quinto scribit: In Tusculanis sacris est, vinum nouū ne vehatur in vrbem antè quàm vinalia kalentur. A quibus autem fuerint olim feriæ proclamatæ, idem Varro in eodem libro his verbis manifestum facit: Rex cùm ferias menstruas Nonis Februarijs edicit, hunc diem februatum appellant. Et paulò pòst: Harum rerum vestigia apparent in sacris Nonalibus in arce: quòd tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, rex prædicit. Ex quibus locis satis perspicuum est, regem sacrificulum singulorum mensium ferias proclamasse. Videlicet (vt Arnobius aduersus gentes libro septimo scribit) hunc in modum: *Lauatio Deûm matris est hodie: Iouis epulum cras est: Æsculapij geritur, celebratúrque vindemia: Lectisterniũm Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est.* Prætorem etiam ferias, quæ Compitalia dicebātur, more maiorum verbis olim solemnibus cōcepisse, Gellius lib. x. cap. xxiiij. & Macrobius lib. i. Sat. capit. iiij, auctores sunt. Postquam enim modò die quinti, modò die quinte vete-

res dixisse docuissent, ad demonstrandam hanc veterum consuetudinem cõferre plurimũm addiderunt, hæc solemnia verba, quibus more maiorum Compitalia prætor concipere solet: DIE NONI POST CALENDAS IANVARIAS QVIRITIBVS COMPITALIA ERVNT. Nec quidem Compitalitias dũtaxat, sed etiam ferias omnes conceptiuas, & imperatiuas indicere prætorem consueuisse, ex eodem Macrobio, & Suetonio probari potest. Sic enim in Claudio scribit Suetonius: Obseruauitque sedulò, vt quoties terra in vrbe mouisset, ferias aduocata concione prætor in vrbe indiceret. Et Macrobius; Feriarum, inquit, publicarum genera sunt quatuor. Aut enim statiuæ sunt, aut conceptiuæ, aut imperatiuæ, aut nundinæ. Et sunt statiuę vniuersi populi communes, certis & constitutis diebus ac mẽsibus, et in Fastis statis obseruationibus annotatæ: in quibus præcipuè seruantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptiuæ sunt quæ quotannis à magistratibus vel sacerdotibus cõcipiuntur, in dies vel certos vel etiam incertos: vt sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperatiuæ sunt, quas consules vel prętores pro arbitrio potestatis indicunt. Nundinæ sunt paganorum, id est rusticorum, quibus conueniunt negotijs proprijs vel mercibus prouisuri. Hæc Macrobius Saturnal. libro primo cap. xvi. Indicebat igitur ferias prætor, indicebat etiam ferias rex sacrificulus:

lus: Hic quidem sacrorum ritè peragẽdorum, ille verò solius à forẽsibus negotijs vacationis gratia. Quæ cùm ita sint, non esse nunc admodum obscurũ puto quid sibi voluerit Vlpianus cùm ita scriberet: Si feriæ extra ordinem sint indictæ, ob res puta prosperè gestas, vel in honorem principis, & propterea magistratus ius non dixerit, C. Cassius nominatim edicebat restituturum se, quia per prætorem videtur factũ. Solennium enim feriarum rationem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit & debuerit actor, ne in eas incidat. capite xxvi. §. v. Ex quib. caus. maior. Sensus enim est, si prætor extra ordinem ferias indixerit, & per hoc exempta actori sit actio temporalis, quòd eo die magistratus ius non dixerit, hoc est quòd dies ille nefastus fuerit, actionem eiusmodi restituendam esse, quòd non per actorem sed per prætorem qui extra ordinem ferias indixit, actio exempta sit. Et quia huiusmodi feriæ, quas imperatiuas appellant, non possunt prospici; ideo etiam omni carere culpa videtur actor, quod vtique non fieret, si solennibus, hoc est statiuis ferijs actio exempta foret. Huiusmodi enim ferię, statis obseruationibus in albo fastorum annotatæ, facilè potuerunt sine aliqua indictione ab actore præuideri. Et ita satis esse perspicuum puto, quid sit apud Vlpianum extra ordinem ferias indicere.

De ordinarijs, vicarijs, & mediastinis seruis.

CAPVT XX.

A diuersis ministerijs & seruilibus officijs, diuersa olim nomina habebant serui. Aut enim erant ordinarij, aut erant vicarij, aut denique mediastini. Et ex ordinarijs quidem seruis alij actores dicebantur, alij silentiarij, alij atrienses, alij procuratores, alij dispensatores, alij tabularij. Inter vicarios verò numerari possunt, hostiarij, ministratores, symphoniaci, cubicularij, histriones, focarij, coci, lecticarij, cursores, palestritæ, balneatores, capsarij. Ad hãc seruorum differentiã in Paradoxis visus est respexisse Cicero, in quodam deprauatissimo loco, quem ego sic restituẽdum cẽseo: Atq; vt in magna familia sunt alij lautiores, vtsibi vidẽtur serui, sed tamen serui: sic in ciuitate, atrienses ac pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulæ, quos cælatum argẽtum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. At sumus, inquiunt, principes ciuitatis. Vos verò ne conseruorum quidem vestrorum principes estis. Sed vt in familia, qui tergunt, qui vngunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum seruitutis tenent: sic in ciuitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius ciuitatis locum pene infimum obtinent. Hæc Cic. legitur passim, *Atrienses ac tu pari stultia sunt*. Ego verò sic locum hunc restituo, vt cõtendam desiderari hec verba, *Sic in ciuitate*, & pro *Ac tu*, omnino *Ac hi*, legendum esse. Vtitur enim Cicero quadam ad priuatorum familias ciuitatis collatione. Cùm igitur sic scriberet, *Atque vt in magna familia &c.* nónne subsequi necessariò debuit, *Sic in ciuitate?* Quid? An non id liquidò demonstrant hæc subsequẽtia verba? *Sed vt in familia, qui tergunt, qui vngunt &c. sic in ciuitate &c.* Ceterùm qui fuerint ordinarij, vicarij, & mediastini serui, non satis constat. In manuscripto meo de verborum iuris significatione antiquissimo libello sic scriptum inueni. Seruus ordinarius est, qui alijs seruis præpositus est: seruus vicarius est, qui seruo submministrat ordinario: seruus mediastinus est, qui medium gerit actum, nec inter ordinarios seruos, nec inter vicarios, sed medius inter hos & illos connumerandus est. Auctor est Vlpianus, ordinarios seruos sub se vicarios habuisse, ijsque velut dominos sic imperasse, vt vicarij essent cum suis peculijs in peculio ordinariorum. capi. vi. vij. & xvij. de pecul. cap. v. in princ. de tribut. act. indeque vicarios seruos peculiares nuncupatos esse, passim traditum est. cap. iij. §. miles. de suis & legit. cap. xxi. de peculio legato. Vnde etiam perspicuum est, quo sensu scripserit apud eundem Vlpianum Pomponius, eum qui in seruitute peculiaria mãcipia prostituta habuit, infamia notari post libertatem. cap. iiij. §. i. in fine. De his q. not. inf. Dubiũ enim nõ est, quin de seruis

ordinarijs, vicaria mancipia sua prostituẽtibus, senserit in hoc loco Pomponius. Inter ordinarios seruos, actores, procuratores, dispẽsatores, & silentiarios esse referendos, ex Saluiano didici, qui lib. iiij. de prouidentia Dei, sic de ordinarijs & vicarijs seruis scribit: Ad fugam seruos non miseriæ tantùm, sed etiam supplicia compellunt. Pauent quippe actores, pauent silentiarios, pauent procuratores, propè est vt inter istos omnes nullorum minus serui sint, quàm dominorum suorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. Quid amplius dici potest? Multi seruorum ad dominos fugiunt, dum conseruos timent. Vnde illorum fugam nõ tam ad eos debemus referre qui fugiunt, quàm ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infelicissimi, famulari optant, et fugere coguntur, discedere à seruitio dominorum suorum omnino nolunt, & conseruorum suorum crudelitate non permittuntur vt seruiant. Mendaces quoque esse dicuntur; ad mendacium nihilominus atrocitate præsentis supplicij coarctantur. Siquidem dum tormentis se volunt eximere, mentiuntur. Quid autem mirum, si positus in metu seruus, mentiri mauult, quàm flagellari? Hæc Saluianus. Quibus addi non incommodè potest, quod sic de Nerone scribit Suetonius: Mox tribus vrbanas ad sacramẽtum citauit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis seruorũ numerum indixit. Nec nisi ex tota cuiusque familia

milia probatissimos, ne dispẽsatoribus quidem aut amanuensibus exceptis, recepit. Seruus cui rerum omnium summa imminet, & earum administratio commissa est, actor dicitur. de quo sic Columella lib. i. de re rustica, scribit: Ita fit, vt & actor & familia peccent. Et paulo pòst: Idémque actori præcipiendum est, ne conuictum cum domestico, multoque minus cum extero habeat. De seruo actore visus est etiam sentire Plautus cùm sic in Asinaria scriberet:

Nam si sciet noster senex fidẽ non esse huic habitam,
Succensebit, quoi omniũ rerum ipsus summã credidit.

Eoque respexit Apuleius de asino aureo li. viii. Seruus quidam, inquit, cui cunctam familię tutelam dominus permiserat suus, quique possessionem illam maximam in qua diuerteramus villicabat, habens ex eodem famulicio conseruam coniugam, liberæ cuiusdam extrariæque mulieris flagrabat cupidine. Ab actore differt procurator, differt etiam dispensator. Procuratori supellectilem & cellaria credi consueuisse, auctor est lib. iii. de prouid. dei Saluianus, sic enim scribit: Sicut serui hominum diuitum aut procuratores, quibus vel supellectilis copiosa, vel cellaria opulenta creduntur, fideles absque dubio dici non queunt, si res traditas deuorarent; sic profectò etiam Christiani homines fideles non sunt, si bona sibi à deo assignata corrumperent. Sic procuratorem accepisse visus est Vlpianus: Senatus censuit, inquit, ne fugitiui

admittantur in saltus, neq; protegantur à villicis, vel procuratoribus possessorũ. ca. j. in princ. de seruis fugit. Dispensatoris autem officium fuisse videtur, seruis reliquis vsitata quædã per canonem certum stipendia, certósque frumenti modios in mensem præstare. cap. lxxxviii. §. xj. de leg. iij. cap. vlt. §. iij. de verb. oblig. Idque ex eodem Saluiano, Terentio, & Donato satis potest intelligi. Saluianus enim libro quarto de prouidentia dei sic scribit: Ac primùm serui, si fures sunt, ad furandum forsitan egestate coguntur; quia etiam si ijs stipendia vsitata præstentur, consuetudini hæc magis quàm sufficientiæ satisfaciunt, & ita implent canonem vt non expleant satietatem. Eoque pertinet quod sic Terentius in Phormione scribit:

Quod ille vnciatim vix de demenso suo
Suum defrudans genium comparsit miser,
Id illa vniuersum abripiet.

In quem locum Donatus, Serui, inquit, quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id demensum dicebatur, vtrum à mense, an à metiendo, incertũ est. Idq; euidenter etiã probari ex Plauto potest in Sticho, qui sic Antiphonem seruos suos alloquentem introducit.

Vos meministis quot calẽdis petere demensum cibũ,
Qui minus meministis quod opus sit facto facere in ædibus.

In hoc enim loco *quot calendis*, pro *quot mensibus* positum est; hoc est *in menses singulos*. cap. xii. §. ij. quand.

ij. quand. dies leg. ced. Hinc etiam intelligimus quid sit apud Vlpianũ cibaria mandare, in frag. tit. xxii. Pro herede gerit, inquit Vlpianus, qui rebus hereditarijs tanquam dominus vtitur, veluti qui actionẽ rerum hereditariarum facit, aut seruis hereditarijs cibaria mandat. Sensus enim est, qui dispensatori familiæ testatoris iubet seruis hereditarijs dare cibaria, hoc est canonem consuetum siue demensum, eum per hoc pro herede gerere. Hæc de seruis ordinarijs. De mediastinis seruis & vicarijs nunc dicendum est. Cùm hunc in modum scriberet Vlpianus: Etenim multum interest qualis seruus sit, bonæ frugi, ordinarius, dispensator, an verò vulgaris, vel mediastinus, an qualis qualis, cap. xv. §. xxxi. de iniurijs. tres haud dubiè visus est seruorum differentias posuisse, sic quidem vt alios contenderit ordinarios esse, alios vulgares siue vicarios, alios denique mediastinos. per mediastinos intelligens qui nec inter ordinarios nec inter vicarios referebantur. §. pœna autem. Inst. de iniur. quamuis aliter Porphyrion & Acron in hunc Horatij versum de mediastinis sentiant:

Cum mediastinus tacito pede rura petebat.

Rectius profectò à Nonio Marcello non balneorum duntaxat, sed ædium quoque ministri & curatores, mediastini definiũtur, hoc est, vt mihi quidem videtur, qui curam habebant sarctorum tectorũ. Curatores igitur & ministri ædiũ

nec

nec vicarij sunt, nec ordinarij, sed tertiam quandam seruorum constituunt differētiam, & mediastini, quasi inter ordinarios & vicarios medij, nuncupantur. Et hoc quidem verùm omnino est, si nullos huiusmodi serui sub se vicarios habeant. Si enim haberent vicarios non amplius mediastini, sed ordinarij dicebantur. Idq; sibi visus est Vlpianus voluisse cum atrienses inter mediastinos referret. cap. i. §. iiij. nautæ, caupones. De ijs haud dubiè atriensibus sentiens, qui nullos in peculio seruos habebant. Et sic quidem omnes illi serui inter mediastinos referendi sunt, qui nullos sub se vicarios habent. Quo sensu Modestinus accepisse etiam mediastinum videri potest, cap. vlt. de op. ser. Inter vulgares, siue vicarios seruos, topiarij, pastores, saltuarij, hostiarij, dietarij, aquarij, numerandi sunt, quorum meminit Vlpianus cap. viij. & xii. §. xxii. de inst. & instructo legat. De hostiariorum officio scribit ad hunc modum eleganter Saluianus de prouidentia Dei lib. iij. Siquidem intra ianuas non modò illustrium portarum, sed etiam præsidum, aut præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprij dignitas introire permiserit; ita vt si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundię & existimationis suę labe mulctetur. Eoque respexisse arbitror his verbis Senecam

necam lib. ij. de tranq. vitæ. Domus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis obseruatur ianitoribus, turbam venali fastidio digerentibus; sed per hoc limen vacuum, & ab hostiarijs liberum, fortuna non transit. Et paulò antè: Ille pusilli animi est, qui sibi placet quòd hostiario liberè respondit, & virgam eius fregit. Videntur etiam hostiarij ad hostium catena fuisse religati. Sic enim Amorum lib. j. scripsit Ouidius:

Ianitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Idque etiam ex Afranio cognosci potest, quem Festus & Nonius aiunt sic in Vopisco scripsisse: *Hostiarij impedimenta titinnire audio:* verbum Titinnire idem esse quod sonare, indeque tintinnabulum appellari contendentes.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.	*Vers.*		*Pag.*	*Vers.*	
35.	12.	tribunali.	123.	13.	damnatam.
36.	17.	Veſtæ.	141.	26.	Kal. Nou
36.	20.	conſilij	147.	4.	teſtatus
41.	13.	ſupereſſent	149.	18.	*lutus*, ſed
67.	1.	quidem	165.	30.	DEI SO-
68.	11.	conſcientia	194.	6.	*conuentionum*
69.	23.	habeant	245.	20.	contra
81.	29.	vindicare nõ pro-	251.	5.	accipiẽdum
82.	22.	viæ	254.	11.	pœnáſque
86.	19.	vtilẽ actionem	264.	6.	eſſent fa-
93.	19.	tolli poſſe,	293.	21.	ſenatuſc.
97.	20.	pudentiſſimas			

In quibuſdam exemplarib. emendanda.

Pag.	*Vers.*	
67.	28.	ſiquidem edito par-
123.	20.	ſuſtentaretur
134.	23.	*factum*
134.	25.	tranſcribendis.

Errata reliqua tam leuia ſunt, vt facilè poſſint à quouis emendari.

PHILIPPI Hiſpaniarum Regis Catholici priuata lege ſancitum eſt, ne quis typographus imprimere, neu quis Bibliopola diuendere audeat ante ſexennium, abſque Huberti Goltzij conſenſu. Qui ſecus faxit, multa illi eſto confiſcationis librorum & in ſingulos libres duorum Carolinorum. Dat. Bruxellæ V. Id. Septemb. Anno à Chriſto nato M. D. LXIIII.

Meſdach.

BRVGIS FLAND.
EX OFFICINA HVBERTI GOL-
TZII. ANNO CIↃ. IↃ. LXIV.
POSTR. CAL. DECEMB.

IACOBI RAE-
VARDI BRVGEN-
SIS I.C. DE PRÆIV-
DICIIS LIBRI
DVO.

✣

AVREA



910

BRVGIS FLANDRORVM,
EXCVDEBAT HVBERTVS GOLTZIVS.
M. D. LXV.

411

3

3.